


# PALAESTRA

## LATINA



ANN XXXIII (Fasc. IV) – N. 184  
M. DECEMBRI – A. MCMLXIII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

**PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:**

**Lauria, 5 . Apartado 1042 - BARCELONA (10)**

**vel ad Procuratores singularum nationum**

**Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - Barbastro (Huesca)**

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTRA ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetis; in Gallia: 3'5 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

Depósito Legal L - 12 1958


Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXIII (Fasc. IV) N. 184

M. DECEMBRI A. MCMLXIII

F. ALOISE, <i>Paulo VI, Pont. Max.</i>	
A. PAGANO, <i>Almam veterum Romanorum linguam Italus magister defendit</i> . . . . .	177
F. ALOISE, <i>De Johannis Pascoli vita latinisque carminibus</i> . . . . .	181
H. H. PAOLI, <i>In limine vitae</i> . . . . .	187
C. EICHENSEER, O. S. B., <i>Congelatus lacus Brigantinus</i> . . . . .	191
L. M. SANSEGUNDO, O. S. B., <i>Nova et Vetera: Televisio mirandum hujus aetatis inventum</i> . . . . .	201
J. SIDERA, C. M. F., <i>Per Orbem: III Conventus Internationalis ad linguam latinam vivam reddendam</i> . . . . .	206
III Conventus Internationalis <i>vota</i> ad linguam latinam vivam reddendam . . . . .	211
BIBLIOGRAPHIA, <i>I. M. Mir, I. González, C. Latorre, Philoponus, A. Marqués.</i> . . . . .	213
PALAESTRA ADULESCENTIUM	
Alumnus Guineensis, <i>Quis est rex?</i> . . . . .	225
<i>P. Pascual et P. Pérez, Pugna cum leopardo commissa. — Post pericula — In caupona. Tu Themistocles non es</i> . . . . .	227
Triangulus magicus. — <i>Solutiones</i> . . . . .	227
<i>J. M. M., Saguntum, urbs opulentissima, ab Hannibale deletur</i> . . . . .	228
<i>L. Mehring, Alumni epistulas dant. — Scalae sublimes. — Verba arcana. — Diogenes</i> . . . . .	230
<i>J. A. Marqués, Auctores meminerint. — De puero quem capitonem vocabant. — Verborum aenigma. — FESTA NATALICIA</i> . . . . .	231
<i>Disticha. — A. Costa, Ad saltum equi. Facete dicta</i> . . . . .	232



O · QUI · TERGEMINO · FRONTEM · DIADEMATE · CINGIS  
ET · CHRISTI · IN · TERRIS · SCEPTRA · VICESQUE · GERIS  
ACCIPE · PAULE · TIBI · QUEM · TESTIFICAMUR · AMOREM  
VOTAQUE · QUAE · SOLIUM · STERNIMUS · ANTE · TUUM  
CUNCTIS · O · RIDEAT · POPULIS · PAX · AUREA · GENTES  
FOEDERE · FRATERNO · IUNGAT · ET · UNUS · AMOR  
EXTORRES · FRATRES · CHRISTI · REDEANT · AD · OVILE  
UNICUS · ATQUE · GREGEM · PASTOR · UBIQUE · REGET  
TE · DUCE · CRUX · VICTRIX · SUA · BRACCHIA · PANDAT · IN · OMNES  
LAURIS · ET · CINGAT · TEMPORA · SPONSA · NOVIS

FRANCISCUS ALOISE

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XXXIII (FASC. IV) — N. 184

M. DECEMBRI

A. MCMLXIII

---

## Almam veterum Romanorum linguam Italus magister defendit

Qui latinum sermonem in ludis docet singulisque diebus difficilem discipulos erudiendi artem exercet haud nescit quibus in difficultatibus hisce diebus versetur nobilissima Romanorum lingua et quam acriter veteres vituperentur scriptores ab illis praesertim qui, cum in latinитatis studium parum incumbant, non multum proficiunt; ob quam rem temere affirmare audent linguam latinam eruditis viris, qui in bibliothecis vitam degunt ac lucifugi, paene dixerim mures, ducuntur, tantummodo esse relinquendam quippe quae nulli utilitati hujus aetatis hominibus, ad progressum nitentibus, inveniatur.

Haud pauci sunt qui ita sentiunt et quotiescumque de lingua latina sermo incidit, eam vituperant utque molestum hostem quacumque ratione profligandum vel saltem in fugam vertendum acriter aggrediuntur; inania sunt hortamenta eorum qui suadere conantur humanitatem Italarumque cultum ex latinis fontibus scaterere indecorumque esse facinus almam veterum linguam neglectam contemnere: tantum autem abest ut latina lingua diligatur ut cotidie injuste contemptui habeatur ejusque studium in ludis magis magisque in dies tenuetur cum nonnulli pro certo habeant nihil utile afferre posse linguam qua abhinc multa saecula homines loqui desierint. Quam stulte isti sentiant decipianturque ostendit nobile poetarum scriptorumque agmen qui latina lingua usi sunt et adhuc utuntur ut homines alloquantur animique sensus ostendant uberrimaque Ecclesiae acta quae, cum Catholica sit, universalem linguam adhibet ut omnes intellegant veritatis verba quae et in documentis latine exaratis et in Pontificum elocutionibus aptam ac decoram vestem in latinis vocabulis inveniunt. Plurimi attamen sunt qui aveant latinum sermonem omnino amoveri vel tenuari, rati eum esse sarcinam afferen-

tem grave impedimentum technicarum quas vocant disciplinarum studio, quia crebrae difficultates quibus discipuli in legendis veterum operibus obviam occurrant obstaculum sint nullumque adjumentum, ad juvenum mentem exercendam altiolemque efficiendam, praebiturae videantur; tamquam si objurgationes, de quibus supra, hujusmodi non sint ut maerore afficiant eos qui latinitati student, quidam obtrectatores existimant latinam linguam idoneam esse non posse ad omnia effingenda quippe quae vocabulis illis careat quibus recentia exprimantur: quomodo, quaerere solent, latine exprimere possumus, ut uno exemplo utamur quae hisce temporibus mirum in modum inventiuntur tantaque admiratione omne genus homines implent? Num veteres haec quondam habuerunt ita ut illis aliquod nomen dare potuerint?

Sit sane utilis Romanorum sermo, at, quaeso, nonne perdifficile latine exprimere id quod veteres non cognovere? Quod si reppererimus exprimendi rationem ea quae in latinum sermonem transferre velimus, num haec eodem exprimentur modo quo veteres? Pugnax obtrectatorum agmen nunquam desinit impetum facere in latinae linguae studium vel in cotidianis sermonibus vel in ephemeridibus vel in comitiis quae in omnibus italicarum urbium foris de popularibus legum latoribus elegendis haberi solent; nam viri qui in rebus publicis versantur vexatam quaestionem agitant deque ea disserunt tanto animi ardore quasi quaestio de agris dividendis inter colonos egentes vel de ceteris rebus ad operarios pertinentibus disceptetur. Linguae latinae quaestio res non est politica, sed peritis disceptanda viris qui eam noscant et doceant et perspiciant quibus malis italica schola laboret quibusque careat remediis ut revirescere possit. Non dissentio autem ab illis qui cogitant rationes docendi latinam linguam plerumque idoneas non esse ad aetatem nostram, qua juvenes aliquid novi percipiunt ac fastidiunt praeteritas erudiendi rationes quae effecerunt ut latinus sermo mortuus jamdudum duceretur et aptus tantummodo ad chartas mucorem olentes: latina lingua exprimere potest quidquid volumus, etiam ad recentia pertinens (Summorum Pontificum acta et Litterae Encyclicae id manifeste ostendunt), dummodo ea cum peritia utamur et in ejus studium attente incumbamus veterum recentiumque auctorum opera pervolutantes quibus opportune fruendum. Itaque lingua quae mortua plerisque immerito videri solet tam vivida apparet ut ea frui possimus ad omnia exprimenda. Si rem perpendere velis sine ira et studio, ut Taciti verbis utar, invenias Romanorum lexicon ditissimum et admodum aptum ad fingendos verborum circuitus qui latine expriment omnia quae in animo habeas iisdem verbis quibus utuntur Caesar, ille latinitatis auctor ac pugnax defensor latinae linguae puritatis (« Verbum recens atque novum tanquam scopulum fuge »), et Livius, romanarum rerum auctor, "lactea ubertate" praeditus, et Cicero, vir ille in eloquentia, ut ait Quintilianus, caelestis, et scriptores Christiani qui latina lingua utuntur ut strenue defendant novam Christi religionem et collustrent martyrum sanguinem,

quem semen Tertullianus nuncupat. Veterum lingua adhuc vivit in nostrae aetatis auctorum scriptis, quorum agmen admodum strenue pugnat eo consilio ut repellantur, procellae quibus Romanorum sermonis claritudo circumfunditur; multi vituperant, sed nunquam in latinitatis studium incubuerunt; attamen isti iudices acerrimos se ostendunt auresque obstinate non praebent verbis eorum qui latinitatem callent; alii vero, cum sciant quam valida hominum mentis latina lingua sit palaestra, tamen eam callide neglegunt politicarum factionum studio incensi: id concipi non potest! «Fa tristezza il vedere che oggi», scribit italicis verbis Eminentissimus Bacci, «proprio in Italia, coloro che dovrebbero per ufficio difendere questo patrimonio dei nostri padri, che è fondamento insostituibile della nostra cultura, per un falso concetto di pianificazione culturale e cerebrale, concetto del resto anche democraticamente impossibile, cercano di smantellare un po' per volta lo studio del latino nelle scuole»; alii tandem loquuntur tanquam si sapientiae putei sint, ut italice dicere solemus; sed nesciunt quam inania mussitent cum, novissimi catones, linguam latinam delendam censeant. Hujusmodi censores comparo illi hominum gregi qui clamant strepitumque faciunt minime sentientes quid agant quidque detrimenti afferant quotiescumque eorum incomposita ac rudis vox tollitur ut laudet vel vituperet. At adversus reprehensionum strepitum clara vox linguam latinam defendentium concinne undique resonat: vox est almarum studiorum Universitatum in quibus humanitatis arx supereminet; Pontificiorum Athenaeorum quae custodiunt servantque dignitatem sermonis quo utuntur ad explanandas quaestiones ad philosophiam vel ad theologiam pertinentes; cujusvis nationis poetarum scriptorumque qui latinam linguam adhibent; Sanctae Sedis Summorumque Pontificum qui, cum totius orbis gentes alloquantur, nullo alio sermone nisi universaliter frui possunt; omnium tandem qui sentiunt veterum humanitatis occasum calamitoso hominibus esse detrimento.

Haec unanimis vox retinet impetus ac moderatur acrimoniae objurgationum; quid dicam de operibus quae in lucem continuo eduntur ne latinitatis fax non dico extinguatur sed unquam tenuetur? In primis mihi justum videtur collaudare fervorem et studium nobilissimi coetus illius clarorum virorum qui operam dant ut ex Urbe Vaticana quater in anno prodeant commentarii quibus «*Latinitas*» nomen cujusque munus est efficere ut latina lingua pervulgetur in totius orbis partes omniumque continentium homines una lingua inter se arte jungantur: Antonii Bacci, inter Sanctae Romanae Ecclesiae Purpuratos Patres cooptati; Hamleti Tondini, Summi Pontificis ab epistulis; Antonii Genovesi S. J., optimi illius poetae; H. Henrici Paoli, qui latino sermone usus de omnibus veterum recentiumque rebus summa pericia tractat; Johannis Baptistae Pighi, doctae Bononiensis Universitatis Magistri et aliorum concinnorum scriptorum quos magni ubique omnes ducunt ac latinitatis signiferos existimant.

Vaticanorum commentariorum vestigia etiam in Hispania docti viri premunt: ibidem enim conditi sunt trimestres latinitatis commentarii qui «*Pa-laestra latina*» nuncupantur quibusque operam dant insignes latinitatis cultores.

Quid praeterea dicam de compluribus libris latine exaratis qui de multigenis argumentis tractant miraque elegantia exornantur? *Carmina* Hugonis Henrici Paoli, *Tirolensia Latina* Abbatis Egger, *Varia latinitatis scripta* A. Springhetti S. J., nec non *Lexicon vocabulorum quae latine difficilius redduntur* Cardinalis Antonii Bacci summo cum animi mei gaudio subsicivis temporibus iterum atque iterum lego. Mihi claras paginas legenti hoc cogitare evenit: juvenes plerumque perosi Cornelium vel Tacitum vel Ciceronem vel Senecam (ceterum non video cur eos odisse debeant) nonne amplius delectentur si magistri nonnullas auctorum, quos nuper recensui, paginas in ludis interdum legant? Nonne taedium in fugam mox vertatur si discipulorum manibus Bacci Lexicon committatur ut aliquid componant ad aetatem nostram pertinens vel aetatis illius quae a renovatis litteris nuncupatur nonnulli legendi eis praebeantur auctores quorum injuste penitus oblitus sumus? Nonne operae paetium est legere Sannazarium, Pontanum, Bembum, Aenean Sylvium Piccolominum, celeberrimum Senensem latinitatis cultorem atque Catholicae Ecclesiae Summum Antistitem, eorumque scripta a magistris peropportune selecta discipulis collustrare ac recensere? Nonne melius si jam praeteritae studiorum rationes renoventur ac facultas praeceptoribus detur legendi discipulis una cum veterum temporum scriptoribus aetatis nostrae auctorum opera? Renovetur studiorum ordo, veteres et recentes scriptores legantur; syntacticae regulae et normae non opprimant discipulos; seligantur cum peritia legendi auctores ita ut antiquitas quam proxima ac perapta ad colloquendum cum omnibus cujusvis nationis hominibus nobis esse videatur.

His autem consulant rebus illi qui cotidie scholae vitam vivunt et existimant litterarum ludum miram esse officinam in qua patriae fata in posterum parentur: magistri artifices, materies effingenda discipuli.

ANTONIUS PAGANO

# De Johannis Pascoli vita latinisque carminibus

Ab ejus interitu L anno vertente

Cum pridie Non. April. quinquagesimus impletus sit annus, ex quo Johannes Pascoli, immatura absumptus morte, e terrestri vita migravit, cum justum et decorum, tum frugiferum et salutare esse ejus memoriam commemorare et celebrare nobis videtur.

Hoc eo facimus libentius, quod non modo aequales nostri ingenuarum litterarum studia parvi ducunt easque tantummodo artes quae faciles, delectabiles, quaestuosae sint amplectuntur, verum etiam latinae linguae adversantur, et inverecunde et imprudenter et audacter eam veluti emortuam et inutilem habendam esse existimant atque, litteratissimis neglectis viris, vel televisionis<sup>1</sup> cantores, qui perverse ululando auribus nervisque audientium minantur, vel puellas sericis indutas vestibibus, si vestes sunt vocandae, in quibus nihil est quo defendi aut corpus aut denique pudor possit, quae flagitiose et inverecunde saltant, vel birota<sup>2</sup> viatores vel ignotos nuper folliculo lusores<sup>3</sup> ad sidera extollunt. Quae igitur a majoribus nostris egregie gesta sint meminisse gratis voluntatibus atque maximis laudibus nobis afferre placet, non quo in illis rebus inani quadam ostentatione contenti gloriari et languentes delectari valeamus, sed facinorum magnitudinem et ingeniorum praestantiam laudamus, ut aequales nostri magna quaedam spectantes, ad ea perpetuo studio contendant.

In hac re omnibus elaborandum est, ut illi poëticam excolant, neque enim vita dicenda est, quae hoc divino quasi lumine non circumfundatur, et humanissima quaeque sentire desinunt, qui contemnere et fastidiose habere coeperint praeclaram illam vitae emendatricem; ut, barbarie et immanitate bellorum sublata, omnium terrarum populi quasi fratres et sodales fiant et una conjunctissima familia vigeat.

Ac nobis quidem videtur fore ut dies laetissima elucescat, quo die praeclarae majorum umbrae e sepulcris exsurgant, ut una cum superstitibus de conciliata inter homines concordia statutaque amicitia laentur et gaudeant. Tum apud omnes admiratio atque observatio magna erit tui, Johannes Pascoli, tui, inquam, qui omnibus hominibus sive italicorum sive latinorum carminum vi fretus pacis te praeconem praebuisti et sequestrem.

---

1. Cfr. A. BACCI, *Vocabolario italiano-latino*, Studium, Roma, 1963.

2. *Ibid.*

3. *Ibid.*



VITA <sup>4</sup>

Johannes Pascoli in castro Sancti Mauri, pridie Cal. Januar. a MDCCCLV natus est obscuro loco. Pater ejus enim Rogerius, in Torlionae principis praediis villicans, ad familiam sustendendam modestis lucellis necessaria comparabat.

Ille primos pueritiae annos ruri apud parentes degit; sed postea patris cura et voluntate, puer septem annorum cum duobus fratribus, ut plerique nobilium familiarum filii, missus est Urbinum, in Collegium Scholarum Piarum quod dicunt, ut optime institueretur.

In eo ephebō tum viri litteris latinis magni nominis effloebant, inter quos Josephus Giacoletti, qui Apollinea clarus in arte entebat, in illo poëtico Hoeufftiano certamine bis aurea carminibus — quorum tit. «*De Lebetis materie et forma...*» et «*De Optice*» — praemia rettulerat.

Ab eo Pascoli illius Didaci Vitrioli, Calabri poëtae doctissimi, qui primus praemium aureum poëmate, cui index «Xiphias», in magno Amstedolamensi conventu ordinis litterarii reportaverat, notitiam habuit, atque prima latinae poëseos<sup>5</sup> rudimenta didicit.

Sed triste fatum ei impendit, quo brevi domestici lares agitantur. Nam ante diem XX Cal. Septemb. a. MDCCCLXVII magno Johannis animus dilaceratus est dolore ob patris cedem, qui ex Gatteo opidulo domum rediens, ex hominis scelestissimi insidiis, pumbea glande trajectus occubuit. Quibus id angoribus animum pueri confecerit, haud facile est significare verbis!

Paulo post soror major natu Margarita, deinde post mensem mater amantissima, postremo frater Aloisius interierunt.

Primis splendide studiorum difficultatibus victis, in castrum Sancti Mauri rediit, ubi Hersiliam, puellam textricem<sup>5</sup>, cognovit, cujus amore semper Johannes arsit et flagravit.

Urbiniū primum Ariminum, deinde Florentiam se contulit, ut in his urbibus Lyceum frequentaret, quo expleto, nec non praemio litterarum certamine lato, in Bononiensi Studiorum Universitate transiit, ubi ita in studia summa incubuit laude, ut et Gandino et Carduccio et sodalibus, quibus exemplo erat, carissimus fuerit.

Sed ille non saepe sed saepius scholas deserit atque cupidissime appetens et mutuam omnium necessitudinem adjutricem operam et aequabilitatem, se ad seditiosissimos homines, publicarum commutandarum studiosissimos, confert. A publicis custodibus est seditiois reus comprehensus, tres menses in custodia fuit. In libertatem restitutus, solus atque egenus, fere duos annos quam parcissime vixit. Laurea doctorali honestatus, a. MDCCCLXXII de Alcaei poësi disserens, primo in publicis Gymnasiis, deinde in Lyceis,

4. Cfr. G. PETROCCHI, *Pascoli*, Ed. R. A. I., Milano, 1962.

5. Cfr. PALERMO, *Pascoli*, Cosenza, 1920.

pueros latinas et graecas litteras docuit. Eo tempore cum Ida et Maria sororibus, quorum altera usque ad extremum diem poëtae numquam se ab illo sejunxit, tota fere Italia peregrinatus est, et egestate impulsus, domi coactus est scholas habere.

Sed studiis ad philologiam pertinentibus carminibusque latinis e tenebris in lucem evocatus, primum in Bononiensem Universitatem, deinde in Mesanensem, denique in Pisanam arcessitus est de grammaticis graecis et latinis expositurus.

Anno MCMVI, post Carducci obitum, in Bononiensi Studio, quod maximus fuit honoris titulus, in eadem aula eodemque suggesto, tanto successit magistro.

Maximum quamvis gradum honorum attigisset, tamen simplex, frugalis, modestus vixit, optimarum studiis litterarum atque poëticae deditus. Cum in morbum gravem incidisset, Bononiae, pridie Non. April. a. MCMXII e vita decessit, aetatis annum LVIII agens.

Ejus exuviae nunc Castrovetere jacent: hi versus tumulo Italice insculpti<sup>6</sup>, quos nos latine vertimus, hospites admonent:

HANC · HEDERAM · VIRIDEM · CIRCUM · SINE · SERPERE · QUAESO  
 ILLA · REFERT · CROCEOS · OCTOBRI · MENSE · CORYMBOS ·  
 ET · GLOMERANTUR · APES · UT · CARPANT · ULTIMA · MELLA.

Hactenus de ejus vita et moribus; nunc ad carmina latina veniamus quae, quamvis ipse sparsa ediderit, nostra aetate, in hominum manus, Manara Valgimigli curante, typis Arnoldi Mondadori, Mediolanensis editoris, uno elegantissimo volumine collecta, perveniunt<sup>7</sup>.

Hic ea tantum primoribus labris attingemus, si tibi placet, lector; in volumine mondadoriano ipse vide, quia ob exiguitatem spatii nobis concessum, de singulis carminibus, etsi cupimus, disserere non licet.

Pascoliana opera omnia CVI carminibus constant, ita in VI libris distributa, ut in primo libro, cui index LIBER DE POETIS, XI poemata, «Catullocalvos, Moretum, Egloga XI, Cena in Caudiano Nervae, Fanum Vacunae, Senex Corycius, Sosii fratres biblioplae, Veianius, Phidyle, Reditus Augusti, Ultima linea», contineantur.

Quorum carminum si a nobis quaeris argumenta, alia Catulliana, alia Horatiana, alia Vergiliana esse dicimus. Tamen, ex latinis quamvis poetis afflatum duxerit, omnia ita digessit ac suis ipsius, ut ita dicam, coloribus pinxit, omnia suo illo ingenii lumine ita illustravit, ut ipse per se invenisse videatur.

In secundo libro, qui RES ROMANAE inscribitur atque VI carmina continet, quorum tituli: «Laureolus, Iugurtha, Gladiatores, Chelidonismos, Vete-

6. Hi sunt Italici versus: «Lasciate quest'edera / Ha capi fioriti, / Fiorisce fedele d'ottobre, / E vi vengono l'api / Per l'ultimo miele.

7 GIOVANNI PASCOLI, *Carmina*, Mondadori, Milano, 1960.

rani Galigulae, Ruffus Crispinus», fortia quorundam Romanorum facta miro ac divino quasi artificio exquisitisque poëticis coloribus ornat et pingit.

In tertio libro, quo Pascoli famam maximam apud posteros sibi comparavit, IX POEMATA CHRISTIANA, magna cum animi admiratione legimus: «Centurionem, Thallusan, Pomponiam Graecinam, Agapem, Pedagogium, Fanum Apollinis, Post Occasum Urbis», quae omnia omnium iudicio non solum pulcherrima, sed egregia, sed perfecta quis esse negaverit?

Quartus liber duobus tantum hymnis in Romam et in Augustam Taurinorum heroicis versibus exaratis componitur. In quinto libro, qui RURALIA inscribitur, «Myrmedon, Pecudes, Canis, Castanea, Lynix» (poëma vix inchoatum) continentur, quae carmina ad genus didascalicum quod dicunt, pertinent. Librum sextum eundemque postremum POEMATIA ET EPIGRAMMATA LXXII componunt, quae, praeter carmina lyrica, quibus indices: «Creperia, Tryphena, Gallus moriens, Coloni Africi...» alia esse videntur ad certum tempus ficta, parvi ponderis et laudis.

#### QUID DE EJUS POESI SENTIENDUM SIT

Quibus praemissis, peropportuno de ejus fabulis et sensibus dicendum aliquid videtur; sed, ut ejus poësis intellegatur, necesse est et breviter de italicis carminibus disseram.

Ille afflatum suae poëseos ex ipsa natura hausit, itaque in primo meliorum carminum volumine, cujus gratia statim in lucem e tenebris evocatus est, scilicet in MIRICYS, non saepe sed saepius agros et caelum et ornatum et occasum solis descripsit, in quibus descriptionibus valida ac suavi vi sensum, quo naturam cunctam cunctasque res amplectitur, ille expressit.

Nam tota ejus poësis ex animi sensibus atque e vita constat. Omnia quae is excogitandi vi commotus est e vita originem ducunt; in volumine autem quod subsecutum est quodque PARVA POEMATA nuncupatur, Pascoli simplicem honestamque agricolarum vitam effinxit, parvam sejunctamque domum in extrema silva exstructam, operam frugi mulierculae quae farinam subigit, quae panem in mactra conficit, ac rusticam simplicitatem frugalium hominum qui praeteritis temporibus vixerunt tranquillumque somnum, quo agricolae duos post labores capiuntur.

Sed ille vero quaestiones etiam quae ad animum pertinent investigavit atque per artem se erexit ad significandam sublimi gravique ratione ipsam rerum substantiam. Quis enim ejus carmina lyrica, quibus titulus IL CONTE UGOLINO et ANDRE' nescit, ubi ille excogitandi vi nisus, tamquam miro volatu, in electis rebus contemplandis se delectavit?

Idem praeterea formulas Dantis poëmatibus illius omnes investigavit in eoque nonnulla quae nondum detecta erant sagaciter patefecit. Ex ejus studiis illam antiquorum virtutem deprompsit, qua versus numerose effudit atque graves sententias quae aut ad philosophiam aut ad pulchrum spectant,

ac rationem qua res sentit quae sunt in rerum natura. Hac de causa, praecipue distinguitur ejus poësis, quae hujus aetatis inter electissimas jure meritoque percensetur, praesertim latina poësis, qua, antiquorum scriptorum natura et indole perspecta, nihil perfectius excogitari potest.

In legendis latinis carminibus, quae Pascoli, aureo usus calamo, composuit, sic nos sermonis suavitate ac venustate allicimur, ut magna admiratione quaeramus num ipse majorem laudem poësi latine quam italice concinnata sibi comparaverit<sup>8</sup>. Eoque magis ad Carducci sententiam inclinamus quod illa omnium veterum auctorum et praecipuorum quasi suavem odorem sapiunt.

Neque vero praetermittere possumus quae in opere, cui titulus '*Contemplazione della morte*' Gabriel ille D'Annunzio<sup>9</sup>, magna Johannis Pascoli admiratione commotus, de latinis poëmatibus scripserit. Ille enim minime adfirmare dubitavit esse neminem hujus aetatis poëtam magis eruditum optimarum artium et poëseos studiis quam Johannem Pascoli, cujus ingenium — cum maximum et paene singulare, acutum et celere ad excogitandum esset —, splendide magnificeque res exornavisse. Neque id satis est; Gabriel, tumore ac turgido illo scribendi genere, quod ei in deliciis erat, asseveravit Johannem Pascoli non modo maximum fuisse latinitatis scriptorem post Augusti saecula; sed antiquos etiam clarissimosque Romae poëtas, quod, si verum fateri volumus incredibile dictu videtur, superavisse. His rebus non modo poëtam poëta cumulavit laudibus, verum etiam feliciter et brevi ejus poëticam comprehendit. Ex quibus sequitur Johannem Pascoli, omnium iudicio, ad poëtarum non ad versificatorum ordinem pertinuisse.

Nam ejus carmina, ut Hectoris Cozzani verbis utar, «Non quasi musiva opera videntur, tessellatis pretiosis lapillis compacta, qui selecti antiquorum Romae poëtarum sint versus, quod profecto in versificatorum tum elapsorum temporum, tum hodie quoque saepissime evenit; neque illis mediae aetatis basilicis assimilari queunt, quibus veterum templorum columnae aliaque ornamenta necessitate quadam potius quam concinno et naturali ordine intersita sunt; reapse ac mirabili quodam modo omnia sponte componunt atque efflorescunt, prouti poëtae animus impellitur ac permovetur<sup>10</sup>.

His tot tantisque laudibus tanti hac in re existimatoris quid addas?

Certo certius non defuerunt quidam scriptores emunctae naris (ut Benedictus Croce<sup>11</sup>, qui in Pascolianis versibus nihil aliud viderent nisi poëtandi genus abruptum atque interdum etiam quasi balbutiens atque singultans; neque alii qui numeros Pascolianos cum valde admirentur, tamen existiment eos a vera et perfecta latinitate abesse; utpote qui recentes imagines recentioresque sententias perquam dissimiles a veteri ratione sentiendi com-

8. Cfr. M. VALGIMIGLI, *Pascoli*, Firenze, Sansoni, 1956.

9. G. D'ANNUNZIO, *Contemplazione della morte*, Milano, Treves, 1919.

10. E. COZZANI, *Pascoli*, vol. V.<sup>o</sup> Ed. l'Erotica, Milano, 1955.

11. Cfr. B. CROCE, in *Critica*, V, 1, 89.

plectentes, poëtam nostrum novo itineri sese committere coëgerint. Quod quantum nutet solidisque careat fundamentis, nemo est quin videar.

Si enim Pascoli nova quaedam adhibet pigmenta ad suum scribendi genus adornandum, nunquam vero ab exemplaribus sibi propositis deflectit, eademque ratione qua ejus carmina non hemistichiis, non frustulis, ut per saepe Franciscus Sofia Alexis<sup>12</sup> fecit, sed semper suam fert personam. His propositis, asserere Johannem Pascoli sive antiquas fabellas et vetusta monumenta cecinisse, sive Musam flectisse ad rem humiliorem et graciliorem versibus effingendam, semper maximum et felicem inventionis et sinceritate et splendore numerorum se praebuisse poëtam, non dubito.

Edicite, edicite, iudices, vestras sententias: neque enim quisquam invenitur, qui non omnium vestrum vel vituperationes vel laudes spernat, et contemnet; nos vero tamquam e perenni et gurgitanti fonte haurimus a Pascolianis carminibus et sermonis elegantiam et verborum sententiarumve granditatem.

Procul dubio vestrorum paginae pedetemptim oblivione obruentur, sed plurima Pascoli carmina semper in hominum manibus animisque erunt.

Horatius, quem Pascoli semper in deliciis habuit, finem imponens tribus odarum libris se non omnino moriturum esse dixit; id ipsum Johannes Pascoli de se ipse jure meritoque sensisse videtur, cum ad Hermenegildum Pistellium doctorem scribens, canit:

Cum me terra gravi pondere presserit  
 Oblitum penitus luminis et mei,  
 Seu frontem glacies vulneret inscio,  
 Seu rupto eliciat sol violas sinu;  
 Me quaerent oculis forte fidelibus  
 Errantem pueri per tacitas nives,  
 Me cernent vitreo vespere devium  
 Iuxta prata croci florida virgines.  
 Tum quicumque aderit, candidus aut puer  
 Aut virgo roseo vertice fulgida,  
 Circum per nebulam forsitan audiat  
 Quae dixi gracili carmina tibia.  
 NON OMNIS MORIAR, si quid olet novum,  
 Si quid silva sonat non altus prius  
 Auditum, tepidas si memor areas  
 Nostri garrulitas implet htrundinum.

Et nomen ejus revera aeternum manebit, quia suis carminibus, praesertim latino sermone concinnatis, sibi Johannes Pascoli magnam comparavit gloriam, quae omnium saeculorum memoria vigebit, quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas tuebitur.

FRANCISCUS ALOISE

12. G. MORABITO, *J. Pascoli et F. S. Alessio, Certamen Vatican. Romae 1963.*

# IN LIMINE LETI

Quinquagesimo vertente anno quo sumnus ille poëta latinus Joannes Pascoli vita functus est, Certamen poëticum latinum est indictum ut ejus vita, memoria, opera justis cumularentur honoribus nostraeque aetati exemplo et documento essent: e quo certamine, primo *ex aequo* donatus praemio, H. Henricus Paoli, nobilissimus poëta Florentinus, victor discessit. Qui, qua est benignitate, ut suis carminibus PALAESTRA LATINA honestaretur, libenter facultatem dedit: estque ei gratiam. — [MODERATOR].

Dulce solum radiisque patens, Romandia, solis  
Arvorum prisco tempore sacra deis,  
Vatis ut ante oculos tua nota redibat imago,  
Cum sibi supremum sensit adesse diem  
Atque inter formas fluitantes noctis in umbra 5  
Aequora cernebat turis aprica sui!  
Ipse videbatur patrios errare per agros,  
Qua varias volucres arbutus omnis alit:  
Hic avis atra caput venientem nuntiat imbrem,  
Emittit querulum gutture rana sonum; 10  
Hic, ut charta rigens, acubus flos horret acanthi,  
Quem procul inde volans parvula spernit apis.  
Diffusas ubi dat frondescens populus umbras  
Semita ad agrestem ducit opaca domus;  
Candida purpureis haerent jasmina rosetis 15  
Muros per veteres ac sine calce putres  
Denticulosque serit croceis mimosa racemis,  
Arida cum findit fervidus arva calor.  
Aestivum caelum clangoribus implet hirundo  
Errat et umbra Crucis, quae pia radit agros; 20  
Tinnitu sparsi vici certare videntur,  
Ad mensam pueros aera ubi sacra vocant.  
Subter ponticulum singultit lucidus amnis  
Ignarusque maris gramina sulcat aquis;  
Vespere, cum repetunt tardae praesaepia vaccae, 25  
Ad ventos tepidos rustica virgo canit.  
Sensibus est quaedam laxis in morte voluptas  
(Haud dubius testis, flos digitalis, eris),  
Nec tamen abscedunt veteris simulacra doloris:  
Audin? Nonne procul muta sepulcra gemunt? 30  
Aedes per vacuas transcurrit funeris umbra,

Ex quo corpus iners ravidam vexit equam;  
 Ipse dolor docuit vatem contemnere vitam...  
 Quamquam, vita quid est? Quid nisi mortis amor?  
 \* \* \*  
 Ut diversa solet phantasmata fingere somnus, 35  
     Cum sopita errat mens per inane vaga,  
 Sic redit in mentem morientis quicquid amavit  
     Ac dilecta, sibi mox peritura, loca.  
 Moenibus e rubris valles spectantis et agros  
     Urbini rursus dulcis imago venit; 40  
 Hic si quis didicit veteres temptare Camenas,  
     Serus Vergilii filius usque fuit,  
 Somnia sed revocans primae dilapso juventae  
     Fallaces species ut periisse dolet!  
 Felix qui flores tantum cecidisse volantes 45  
     Vidit, dum sursum stamina longa trahunt!  
 Montes o virides Urbini floribus albae  
     Depictum spinæ vere tepente solum,  
 Vidistis puerum cui nunc in limine leti  
     Extremum hospitium Felsina docta dedit. 50  
 At quam grata subit verno sub lumine Barga  
     Declivesque viae, garrula fontis aqual  
 In capite urceolo leviter nutante puellae  
     Ad fontem veniunt, lympha ubi pura tremit.  
 Luminibus centum sub noctem Barga refulget, 55  
     Dum Corsonna fluit vallis et ima silet.  
 Quae crucient homines aerumnæ conscia turris  
     Labentes horas computat aere sacro;  
 Aequis temporibus vox editur inde canora:  
     «Vita fugax teritur mortis et hora venit». 60  
 Nidulus ille, ubi post autumnæ frigora prima  
     Implumes pullos vanus alebat amor,  
 Admonuit quondam stridente aquilone poëtam  
     Nil iterum fieri cui semel esse datur.  
 Umbrae somnium id est vitam quodcumque vocamus: 65  
     Hora perit fugiens ad nihilumque trahit.  
 Vespere si magico rutilat splendore cupressus,  
     Noctu fit ventis aurea silva nigra.  
 «Ultima linea mors», si mors impendet, Horati,  
     Sollemnes ludos quid cecinisse juvat? 70  
 Sirenum ad scopulos naves franguntur; Ulixes  
     Ad mortem properat nescius ipse sui.

+ + +

Jamque poëta sonum turris languescere sentit;  
 Barga evanescit fonticulusque tacet.  
 Lux abit atque redit, circum fit spissior umbra; 75  
 Pigror igniculum pendula lampas alit.  
 Sic astra extingui stupuit rursusque nitere,  
 Unco quem tractum vidit arena, Geta.  
 Offusis oculis cernit caligine mortis  
 Intransentem tacito limina surda pede 80  
 Famineam formam, fuscam, citharamque tenentem.  
 Tum canit ambiguum vox peregrina melos.  
 «Hortulo luna radiante plena  
 Malus argenti tremit in nitore...  
 Caerulos montes procul ala verrit 85  
 Sibila venti.  
 Ventus immugit, strepit in rubetis  
 Vexat et quercus... Tremor hic videtur  
 Lenis, at serpens Amor intus artus  
 Frangit inertes. 90  
 A comae cirris procul est, remotum  
 Ut jubar solis; trepidum at cor urget,  
 Ut jubar: pulcher, moriens sed ut sol  
 Occiduusque.  
 Vana dilabi volo: quaero id unum: 95  
 Lumen ex illo fieri relucens.  
 Lucis o magnae super aequor ingens  
 Ultima cautes,  
 Dulce demersos petere hinc quietem:  
 Sol it immensi pelagi sub undas; 100  
 Umbra descendit, tremit et diei  
 Lux abeuntis».  
 Auscultat placide dum notum carmen amoris,  
 Sic obit ad citharae, Morte canente, sonum.

HUGO HENRICUS PAOLI

## ADNOTATIONES

(MYR. = Myrica. — CAST. = Canti di Castelvoglio. — POEM. = Primi poemetti. — CONV. = Poemi conviviali. — CARM. = Carmina).

1. MYR., *Romagna*: «Romagna solatia, dolce paese».

7. CAST., *La capinera*: «Il tempo si cambia: stasera | vuol l'acqua venire a ruscelli | l'annunzia la capinera».

8. confer. CAST., *Le rane*



9. MYR., *Fior d'acanto*: «Fiore di carta rigida, dentato | i petali di fini aghi».
10. *Ibid.*: «L'ape te sdegna piccola e regale».
11. MYR., *Romagna*: «Guardava il tutto un pioppo alto e slanciato».
- 13-14. *Ibid.*: «E s'abbracciava per lo sgretolato | muro un folto rosajo a un gelsomino». *Jasminum*, quod verbum nullum in Latina lingua est, primum a Linnaeo usurpatum, a Persico vocabulo *yāsmīn* ductum esse constat; trisyllabum est igitur, ejusque paenultima syllaba longa; si quis vero florem, quem «gelsomino» vocant, Graeco verbo (non recte, mea quidem sententia) *iasminum* (ἰάσμινον) significari malit, legat oportet: *Candida iasmina ibi reptant innexa rosetis*.
- 15-16. *Ibid.*: «Già m'accoglieva in quelle ore bruciate | sotto ombrello di trine una mimosa».
18. POEM. *Il soldato di San Piero in Campo*: «Ave! tra uno scoppiettio veloce | di balestrucci, che nel cielo intorno | gettan ombre di pii segni di croce».
- 19-20. MYR., *Romagna*: «Da' borghi sparsi le campane in tanto | si rincorron coi lor gridi argentini: | chiamano al rezzo, alla quiete, al santo | deseio fiorito d'occhi di bambini».
- 21-22. MYR., *il ponte*: «In suono di singuli | l'onda si rompe al solitario ponte | ...il fiume va con lucidi sussulti | al mare ignoto dall'ignoto monte».
23. MYR., *Sera d'ottobre*: «Nei campi arati tornano al presepe | tarde le vacche».
24. *Ibid.*: «Nei campi intuona una fanciulla al vento: "Fiore di spina"».
- 25-26. Confer. POEM., *Digitale purpurea*, III.
28. Confer. MYR., *Il giorno dei morti*.
30. Confer. CAST., *La cavallina storna*.
32. Confer. POEM., *La civetta*, Plat., *Phaed.* 64 a.
- 37-38. Confer. MYR., *Campane a sera*; POEM., *L'aquilone*.
- 43-44. POEM., *L'aquilone*: «Felice te che al vento | non vedesti cader che gli aquiloni». — *flores... volantes*; Confer. *ibid.*: «S'inalza; e ruba il filo dalla mano | come un fiore che fugge sullo stelo esile».
- 47-48. CAST. *La fonte di Castelvecchio*: «Venite a questa fonte nuova, sulle | teste la brocca, netta come specchio, | equilibrando tremula, fanciulle di Castelvecchio».
55. POEM. *Il soldato di San Piero in Campo*: «Tu nella bruna valle alta sfavilli, | Barga coi cento lumi tuoi».
56. CAST., *La fonte di Castelvecchio*: «Suona eterno il flusso | della Corsonna».
- 55-56. Confer. CAST., *L'ora di Barga*.
- 59-62. CAST., *In ritardo*. «Oh! tardi! Il nido, ch'è due nidi al cuore | ha fame in mezzo a tante cose morte; | e l'anno è morto, ed anche il giorno muore | e il tuono muglia e il vento urla più forte | e l'acqua fruscia ed è già notte oscura, | e quello ch'era non sarà mai più».
- 63-64. MYR., *Sogno d'ombra*: «Ma l'uno visse | quello che l'altro: un sogno d'ombra, un niente». Confer. Pind., *Pyth.* 8, v. 95: οὐκ ἔστι δὲ αὐτῶν ἀνδρωπιός.
- 65-66. Confer. MYR., *Fides*.
- 67-68. Confer. CARM., *Ultima linea*.
- 69-70. CONV., *L'ultimo viaggio*, XIII, *Il vero*: «Solo mi resta un attimo. Vi prego! | Ditemi almeno chi son io! chi ero! | e tra gli scogli si spezzò la nave».
- 75-76. Confer. CONV., *La buona novella*, II
76. *Ibid.*: «L'avean, col raffio, tratto dall'arena | del circo».
80. *Ambiguum... melos*, CONV., *Solon*: «La Morte è questa! il vecchio esclamò. Questo | ella rispose, è, ospite, l'amore».
- 82-100. Confer. *Ibid.*: «Splende al plenilunio l'orto; il melo | trema appena d'un tremolio d'argento... | Nei lontani monti color di cielo | sibila il vento»,... et quae sequuntur.

# Congelatus lacus Brigantinus

Videsne illic virum equitantem per vallem, cuius solum nivolum solis radii illustrant? Sudore manans ille per frigidam nivem incitato equo vehitur cupiens ipso die hodierno usque ad lacum Brigantinum pervenire, ut una cum equo in lintrem tutam impositus ad ulteriorem ripam appellat.

In aspera via per sentes lapidesque equo valido vehitur jamque e montibus in planitiem emergit, ubi nives velut harenarum solitudinem late patientes conspicit, vicis oppidisque longe post se relictis. Via quoque plana ac levis facta est.

At in immensa hac planitie nullum lumen, nullam domum videt, nullae jam sunt arbores, nulli lapides. Sic aliquot milia passuum emittitur neque quicquam in aere audit nisi anseris hyperborae clangorem aut fulicae alis subvolantis stridorem.

Nullum conspicit viatorem, qui ei viam monstret, in mollissima tamen nive libero cursu porro proficiscitur, cupide exspectans aquas lacus splendidas ac murmurantes. Et jam praemature advesperascit, cum e longinquo aliquid luminis cernitur.

Jamque e nebula emergunt aliae post alias arbores et amplum spatium collibus circumcluditur. Eques igitur in solo rursus vepres lapidesque esse sentiens equo a canibus latrantibus circumdato calcaria subdit, ut quam celerrime in vico proximo ad calidum focum perveniat.

Tum puellam quandam ad fenestram stantem interrogat, quantum itineris sit usque ad lacum. Quae mirata aspiciens equitem: «Lacus», inquit, «interque tibi a tergo sunt. Nisi glacie constrictus esset lacus, te e lintre egressum putarem».

Ad haec peregrinus horrore perfusus et aegre anhelans: «Ex illa planitie», inquit, «huc equitavi». Tum vero puella: «Per Deum immortalem», inquit, «tu super lacum equo vectus es, cuius ungulae festinantes voraginem immensamque altitudinem pulsaverunt. Divinitus accidit aquas tibi non suscensuisse neque fracta glacie te praedam fuisse esocibus esurientibus in undis gelidis». Deinde pagum convocat ad hanc tam miram rem audiendam. Jam pueri circumsistunt equitem, jamque matres senesque confluunt et: «O te felicem», inquit, «tu vere habes, quod tibi gratuleris. Nunciam i intro ad focum, ad cibos calidos! Frange nobiscum panem et ede pisces!» At ille insidens equo obstupescit, nil enim jam attendit quam prima verba.

Metu cor ejus horrescit, horrent crines, nam etiamnunc imminere videtur atrox periculum, ut nil jam videat nisi foedam voraginem, in quam intuentis animus nigra vertigine corripitur.

Aures ejus circumsonant quasi fragore quodam glaciei corruentis, quasi undā circumfunditur gelido sudore, tum ingemiscens ex equo delapsus in litore sicca humo contegitur <sup>1</sup>.

Hoc carmine fabuloso, quod inscribitur *Eques et lacus Brigantinus*, post illud gelicidium saeculare anni MDCCCXXX <sup>1</sup> Gustavus Schwab lacum congelatum celebravit. Qui poëta Alamannus (1792-1850), civis Stutgardianus <sup>2</sup>, libens harum aquarum oras obibat. Quo factum est, ut praeter locorum naturam, litoris recessus, latebrarum amoenitates in bibliotheca Uberlingensi <sup>3</sup> libros chronicos inveniret, quos Jacobus Reutlinger et Georgius Hahn saeculis superioribus conscripserant. Ibi multa temporibus lacus gelati facta narrantur et vere memorabilia et paene incredibilia. Traditur ibidem Andreas Egglisperger, vir Enishemius idemque praefectus rei cursualis Alsacensis, cujus dicionis dominus erat Carolus, comes Hohenzöllerus, die quinto mensis Januarii anno MDLXXIII, postquam equo vectus primum bis Rhenum congelatum deinde lacum Cellensem <sup>4</sup> gelu constrictum et lacum gratiosum glaciatum, i. e. partes inferioris lacus Brigantini, salvus transmisit, per latiore sinum Uberlingensem aequaliter gelatum pariter equitans Uberlingam pervenisse. Qui hoc spatium emensus adeo sudavit ejusque caballus, ut sudor guttatim in terram decurreret. At nequaquam horrore concussus concidit, sed paulo post ad cauponam «Coronae», quod deversorium nobile etiam nunc ibi exstat, incolumis devertit cibus coctis vesci paratus. Verisimillimum autem est hanc equitationem periculosam a Georgio Hahn descriptam in causa fuisse, ut illud carmen celeberrimum conderetur. Illius annalium commentatoris comes fuit Johannes Georgius Tibianus (Schinbain), magister linguae latinae Friburgi Brisigavorum natus, qui per decem annos (1593-1603) scholam Uberlingensem moderabatur. Hic lacum Brigantinum versibus poëmaticis longiusculi celebravit <sup>5</sup>. His igitur litterarum

1. Haec verba Johannes Carolus Pulcrimontanus (*Schönberger*), magister quondam meus Dillinganus (*Dillingen*), nunc consiliarius carissimus et dilectissimus plus quam octogenerius, rem rogatus latine reddidit. Sed (*die 22<sup>o</sup> m. Martii a. 1963*) rescripsit se certe centies lexica evolvisse. Postea per Carolum Ludovicum Weitzel, professorem Silviculturam ab Arturo Preuss in publicum propositam esse: *Soc. LAT.* 7 (1939) 38 sq.

2. Stutgardia, -ae f. = Stuttgart (caput Virtembergiae et Badeniae).

3. Iburga (*anno 770*), postea Uberlinga, -ae f. = Uberlingen.

4. *Zellersee*.

5. Valde doluit, quod verba hujus carminis inspicere non potuit.

Cf. ΟΞΗΜΕ Ruthard, *Ioannes Georgius Tibianus*.

Ein Beitrag zur Kartographie und Landesbeschreibung Südwestdeutschlands im 16. Jahrhundert (= *Forschungen zur Deutschen Landeskunde*, tom. 91), Remagen/Rh. 1956, p. 108-110: Panegyricon super Laudibus Acronii Lacus in Alemannia, et eiusdem Civitatum.

p. 110-113: Elegia in laudem Acronii lacus, et eiusdem praecipuarum civitatum.

monumentis nixus Gustavus Schwab suum videtur carmen cultum comp-  
tumque composuisse<sup>6</sup>. Sed haec hactenus.

Ipse autem lacus Brigantinus (seu Constantiensis)<sup>7</sup>, qui ab antiquis  
etiam Venetus appellatur et a nostratibus nostrorum dierum Potamicus<sup>8</sup>, in  
longitudinem circiter sexaginta quattuor chiliometra et in latitudinem quat-  
tuordecim patet extentus. Hujus aequoris superficies est quingentorum duo-  
dequadragesima chiliometrorum quadratorum et dimidii. Porro aquarum ma-  
xima altitudo ducentorum quinquaginta duorum metrorum indicatur esse.  
Hic lacus, per quem Rhenus ex Lepontiis ortus fluit, in inferiore parte, quae  
spectat ad septentriones, longe procurrit in duo brachia duosve sinus di-  
visus, quorum alter, i. e. orientalis, dicitur lacus Uberlingensis, alter, i. e.  
occidentalis, lacus Rhenanus seu Cellensis ponte Constantiensi et oppidi  
Lapidis<sup>9</sup> situ terminatus, qui cognominatur 'gratiarum' seu gratiosus<sup>10</sup>.  
Nam ibi inest insula Augia Dives<sup>11</sup> aggere quodam cum continenti con-  
iuncta, ubi anno DCCXXIV sanctus Priminus<sup>12</sup> illud monasterium cultu  
divino et copia codicum celeberrimum condidit. Ibidem Hermannus Contrac-  
tus saeculo undecimo illos hymnos singulares, quibus Mater Jesu eademque

6. Cf. commentarios lacus Brigantini (i. e. *Bodensee-Hefte*) [Constantiae], fasc. 12 (Dec.) 1962, p. 460-462. Alii autem putant ad similem rem anni 1684 alludi, alii ad rem die quinto mensis Februarii anno 1695 gestam.

7. *Lago de Constanza, Lago di Constanza, lac de Constance, Lake of Constance, Bodensee*; cf. *PAI. LAT.* 32 (1962) 450.

Cf. *ThLL* I 434, 15-17: Acronus lacus pars lacus Brigantini. *MELA* 3, 24 Rhenus Alpibus decidens prope a capite duos lacus efficit, Venetum et Acronum.

Cf. *FORCELLINI*, tom. V (onomasticon), Patavii 1940, p. 26: ...Altit est pars lacus Brigantini; altit cum *Cluverio* differt ita ut Acronius (Acronius: *Klotz* 1879) sit quem Cellensem lacum, *Cellersee* [recte *Zellersee*], vocant, Brigantinus vero et Venetus seu Podamicus, qui nunc Constantiensis, vulgo *lago di Costanza*, dicitur.

Cf. *PAULY-WISSOWA, Real-Encyclopädie der classischen Altertumswissenschaft*, vol. I (Stuttgart 1894), p. 285: Acronus (minus reote: Acronius) lacus ... lacus Venetus = *Obersee* (= lacus superior), lacus Acronus = *Untersee* (= lacus inferior).

8. Hoc nomen ab eo loco ducitur, ubi fuit aetate Carolingica et deinceps villa quaedam regia; quod oppidulum hodie dicitur *Bodman* (839 *Bódoma*, 879 *Pótamus*, 1200 *Bodimín*, 1253 *Bodmi* 1256 *Bodem*). *Etiám haec leguntur*: in fisco Caroli majoris domus Potomico ad a. 724; fisco imperatoris vocabulo Potimiacus 839; in loco qui dicitur Potamus in palatio regio 879; curtis in Podoma cum ecclesia 1155; ecclesia Bodoma 1175.

Cf. *KRIEGER, Albert, Topographisches Wörterbuch des Grossherzogtums Baden*, Heidelberg 1898.

9. *Stein*.

10. *Gnadensee*.

11. *Reichenau*.

12. Cf. *DENZINGER SCHÖNMETZER, Enchiridion symbolorum etc.* 32. *Barcinone* 1963, p. 27 (n. 28): S. Priminus (vel potius Priminus). *J. N. D. KELLY, Early Christian Creeds*, London 1952, p. 398: Priminus (his name has usually been spelt Pirminius, but both philology and the preponderant MS tradition support our form).

Dei Genetrix Maria celebratur, composuisse fertur, qui sunt *Alma Redemptoris Mater* et *Salve Regina, mater misericordiae*<sup>13</sup>. Illius quidem coenobii muri circiter initium saeculi undevicesimi destructi sunt, sed ibi tria templa adhuc exstant genere structurae gothicae insignia.

In his fretis angustioribus, quae ad septentriones spectant, hac hieme ceteris multo frigidiore et diuturniore, qua nix medio mense Novembri caelo delapsa non jam resoluta est et mense Martio post annos paene innumera- biles in Acropolin, arcem antiquam Athenarum, nix cecidit, summa aqua paulatim constricta gelascebat. Tamen vix id fuit in causa, quod Hierony- mus, vir ille trilinguis celeberrimus, de regione boreali rettulit. Nam ait: «Sol quando per austrum currit, sublimis attollitur. Forsitan ergo his qui hiemis et tribulationum frigore coartantur (ab aquilone enim exardescunt mala super terram) vicinior sol iste justitiae est, his vero qui in boreae parte habitant, et calore privantur aestivo, incedit procul, et per suos circulos, unde profectus est, revertitur<sup>14</sup>». Sed condicionibus asperrimis hujus hie- mis paene toto orbe terrarum tempestas in aquilonium rigorem immemora- bilem conversa videtur esse. Nam etiam in plagis quibusdam Asiae orien- talis praeter expectationem agri gelu stricti tectaue stircidii insueta nive pura candidaque contacta sunt<sup>15</sup>.

Medio autem mense Januario superficies lacus Brigantini jam eum in mo- dum incrustabatur, ut secundum litora paulo post homines in unda pervia<sup>16</sup> pedem ponerent securi. Hujus glaciei crassitudo in dies augebatur. Quo factum est, ut etiam ibi aquarum aequor obduresceret, ubi latitudo major est, quin etiam litora longissime inter se distant. Cujus crystalli condicio- nem cordati viri scalis ligneis et perticis longis aliisque instrumentis in- structi caute procedentes pervestigaverunt cum cohaerentiam experti tum spissitatem speculati<sup>17</sup>. Sed soliditatem satis stabilem vix opperti latius latiusque juvenes in medium lacum versus excurrebant.

Ineunte autem mense Februario<sup>18</sup> super lacum Uberlingensem gelu jam vinctum sollemnia sunt instituta, ubi circiter septem milia hominum plani- tiem glaciale calcaverunt eximia voluptate perfusi alacres hilaresque huc illuc deambulantes declinantes discursantes et botulis calefactis refecti et

13. Cf. *Lexikon für Theologie und Kirche*<sup>2</sup>, vol. 5 (Freiburg/Br. 1960), p. 250 Cf. epheme- ridem catholicam dioecesis Augustanae a S. Udalrico nuncupatam (i. e. *St. Ulrichsblatt*), ann. 18 / n. 28, Augustae Vindelicum, die dominico, 14 Julii 1963, p. 5/501. Hermannus praeter alios libros haec quoque scripta composuit, quae sunt *de monochordo* et *de mustica*.

14. HIER. *in eccles.* 1, 174 180 (Cchl. 72, 255).

15. Cf. acta diurna, quae inscribuntur *Süddeutsche Zeitung*, ann. 19 / n. 47, Monaci, Sabbato/die dominico, 23/24 Febr. 1963, *Imagines (Bildberichte)*.

16. Cf. AMM. 27, 6, 12 gelu pervios Histrum et Rhenum

17. Cf. PLIN. *nat.* 8, 103 *vulpem* aure ad glaciem adposita conjectare crassitudinem gelus.

18. 2./3. Febr. 1963. Fuit glaciei crassitudo quindecim centimetrorum.

modis musicis suaviter incitati. Paucis diebus post etiam lacus superioris, id est amplioris potiorisque partis, naves cunctae glaciebus inclusae in portibus immobiles retinebantur<sup>19</sup>. Sed a. d. VIII Idus Februarias primum iuvenes tam levitate praediti quam scalis armati a Constantia in litus adversum ad Marispurgium<sup>20</sup> transierunt. Alii audaciores numero novem, in quibus fuit puer decem annorum, Hagenova<sup>21</sup> profecti petebant litus Helveticum. Sed cum post iter duarum horarum illam oram pedibus paene consequerentur<sup>22</sup>, unus ex eis glacie fracta pectore tenus in aquam immersus est, quem intinctum ceteri contentis viribus statim extraxerunt extractumque scaphae impo-  
suerunt ilico vestimentis siccis vestiendum. Tribus diebus post, id est a. d. V Id. Febr., tres ludi magistri cum quinquaginta discipulis scholae Altinovensis<sup>23</sup> eam imaginem Christi cruci affixi, quam anno MDCCCXXX discipuli Hagenovenses illuc transtulerunt lacum gelatum transgressi commotis animis et laetificatis feliciter referunt.

Postridie ejus diei prope ab Uberlinga velivola super glaciem, quasi sit aërodrömus singulariter paratus, cum deorsum appellunt tum sursum ascendunt. Quin etiam prope saepta muralia portus Lindaviensis<sup>24</sup> eodem die festo sanctae Scholasticae et jam pridie aëroplanum machinamento instructum domus cujusdam privatae in aream glaciatae saepius delabitur et inde paulo post rursus sublime tollitur, dum decem milia mirantium circumsecus adstant, spectaculo stupent, manibus plaudunt. Eodem die dominico plus quam viginti milia hominum Altinovæ profecti Hagenovam transierunt, id est a litore Helvetico trans aquas crustatas ad litus Germanicum et in partem contrariam se contulerunt. Sed jam potiora praeclarioraque parabantur.

Nam pridie Idus Februarias (i. e. die 12 m. Febr.) Christianos cum catholicos tum incatholicos campanarum sonitu hora octava et dodrante<sup>25</sup> in aedem sancto Remigio dicatam convocatos Carolus Hofmann, curio Munsterlinganus<sup>26</sup>, commonuit, ut per lacum congelatum in litus adversum progredientes Deum de pace populis pacandis praebenda rogarent et de concilio Vaticano Romae celebrari coepto cum salute cunctorum Christianorum benigne prosperando. His congregatis numero circiter trecentis<sup>27</sup> jam proficis-

19. Cf. VAL FL. 3, 10, 47 inclusaeque gelu stabant in marmore puppes.

20. Marispurgium, -i n. = Meersburg.

21. Hognau.

22. Cf. CIC. *epist.* 7, 28, 2.

23. Altinova, -ae f. = Altnau.

24. Lindavia -ae f. = Lindau.

25. Cf. VIT. LAT. n. 10 (Mai 1960), p. 44, adn. 12. AUG. *cons. euang.* 3, 13, 41 (CSEL 43, p. 324, 19-325, 3) hora ... quinta et quadrans ... quinta et triens .. quinta semis.

26. Munsterlinga, -ae f. = Münsterlingen.

27. Cf. ephemeridem catholicam dioecesis Augustanae, ann. 18 / n. 8. (24. Febr. 1963), p. 8/140 sq.

centibus paulatim tot se adjungebant, ut circiter duo milia numerarentur. Ordinatam est autem agmen religiosum longe laxatum atque diductum. Incesserunt ergo solutis incertisque ordinibus clerici viri mulieres adulescentes. Pueri vero ac puellae intervallis binorum fere metrorum dispositi funem circiter centum metra longum tenebant, ne quis improviso aberraret. Qui homunculi cucullis capita contexti hilariter audacterque iter singulare temporis hiemalis ingressi sunt. Porro praeferebat adulescens quidam tabulam quadrangulam orthogoniam, cui erant haec inscripta:

Domine, qui glacie geluque facere potes pontes,  
 Tuae nos potentiae confisi rogamus,  
 ut occidentem et orientem ponte jungas,  
 quo homines ad sidera nixi  
 in terris pacem habeant veram.

O Pater dic, ut fiat  
 unus pastor et unus grex<sup>28</sup>.

Glacies erat autem crassitudine duodecim minimum centimetrorum et insuper tegimine niveo quattuor quinqueve centimetrorum contexta. Processum est autem primo, ad meridiem versus, quo quaedam rima aquosa longior provide circumiretur, deinde declinatum est sinistrorsus ad orientem. Prospectus vero ad oram petendam non praebebatur, cum cuncta nebulis nubibusque densioribus circumvolverentur<sup>29</sup>. Hanc pompam<sup>30</sup> supplicationis super ingentes abyssos aquarum vincularum feliciter deducendam non solum ahenatores comitantur, sed etiam vir quidam in equo sublimis. Interdum autem glacie pedibus hominum calcata strepitus terribilis editur. Porro jam expectati circiter horam undecimam et quadrantem septem chiliometra et dimidium emensi Hagenovam perveniunt campanis sonantibus et mortariolis<sup>31</sup> crepitantibus et ahenatoribus concinentibus consalutati. Hos advenientes Felix Ainser, praefectus civitatis Hagenovensis, cujus viri proavus Xave-

28. Cf. *ITALA* Joh. 10, 16 (cf. *textum Graecum!*); *CYPR. epist.* 69, 5 (CSEL 3, I, 753, 18) et erit unus grex et unus pastor.

*RUFIN. apol. adv. Hier.* 1, 41, 32 (Cchl 20, 76) et fiat unus pastor et unus grex.

29. Cf. *LACT. mort. pers.* 2, 3 circumvolvitur eum procella nubis.

30. Cf. *FORCELLINI, Lexicon totius Latinitatis* tom. III (Patavii 1940), p. 752. *BACCI, Lexicon*<sup>4</sup>, Romae 1963, p. 597. *Processione-Corteo*.

Cf. *MAX. TAUR. serm.* 56, 3, 6.) (Cchl 23, 225) Solebat sicut dicunt, regum triumphantium currus captivorum pompa praecedere. *AAS* 52 (1960) 245 cum sollemnibus pontificalis pompa procederet 55 (1963) 148 sollemnissimo ritu equestris pompa ducebatur.

Sed legitur etiam nomen *processionis*; cf. *ITIN. Eg.* 26, 1-4 (Cchl 175, 72) *EPIST. pontif. Thiel. Gelas.* 15, 25 (Brunsborgae 1868. p. 376) (= Migne, PL 59, 55 C) sacris processionibus.

Cf. opus, quod inscribitur *Prima Romana Synodus*, Romae 1960, art. 154, 8.° (p. 72), art. 545, § 3 (p. 211), art. 548, § 1-2 (p. 212); et multis aliis locis.

31. *morterele, mortestro, mortaletto, petit mortier, small mortar (small gun), Böller*; cf. *BACCI, op. mem.*, p. 487: *mortato*.

rius Ainser una cum multis aliis centum triginta tribus annis ante imaginem fictam sancti Johannis euangelistae die sexto mensis Februarii, sabbato, Munsterlingō apportaverat, annum MDCCCXXX recordatus multimodis salvere jussit. Quos salutatos Hugo Höfler, curio decanusque Hagenovensis, ad templum sancto Johanni baptistae dicatum ductos prosecutus cohortatus est, ut Dei majestatem omnipotentiam clementiamque collaudarent eique gratias agerent maximas.

Deinde dimissi in deversorio «Aulae Hagenovensis» advenae Helvetii in colloquium prandiumque praestantius paratum participandum congregantur. Qui cibi sale salutationum narrationum commendationum condiuntur, dum dona danda et accipienda cum omnium admiratione hospitaliter comiterque commutantur.

Post haec horō tertiō (postmeridianō) et dimidiō<sup>32</sup> Munsterlinganis in aedem sacram reversis imago sancti Johannis euangelistae primum die septimo decimo mensis Februarii anno MDLXXIII apportata, nunc tertium Munsterlingam reportanda traditur. Quam occasionem peropportunam nactus Hugo Höfler decanus, qui Helvetios pie peregrinos laudavit, quod quam frequentissimi venissent, monet, ut studium religionis avitum memoria moribusque cum ipsorum salute semper teneant. Idem suspicatur majores ante trecentos nonaginta annos spectaculo naturae magnificentissimo adductos esse, ut hanc imaginem sacram Dei magnipotentiam multimodis magnificentes trans lacum ferrent. Carolus autem Hofmann, parochus Munsterlinganus, addit Johannem euangelistam revera ponte quodam amoris fecisse, ut Christiani tam incatholici quam catholici concordiae salutaris appetentissimi preces una expromerent et offerrent. Ceterum verisimillimum est majores id contendisse, ut hujusmodi piis peregrinationibus precationibusque calamitates et miseras averruncarent. Denique horō tertiō et minutā quinquagesimā<sup>33</sup> Helvetii, quorum numerus interea ad tria milia auctus est, Hagenovā profecti pondus praestantissimum portantes patriam petunt. Altarium autem pueri ministri veste sacra induti et adulescentes juvenesque vexilla cantabraque ventis fluitantia gestantes cunctique alii nebulis nimbisque discussis gressus celebrant citiusque incedunt. Quo fit, ut hora sexta et dimidia Munsterlingam salvi reversi simulacrum sacrum ad rationem artis gothicae posterioris fabricatum in sacram aedem deferant ibique commotis animis hymnum *Te Deum*

32. Cf. CIL III 42, 5 eodem die hora prima et dimidia.

FRONTO p. 27, 19 v. d. H Ego ab hora quarta et dimidia in hanc horam scripsi. Cf. AAS 51 (1959) 747, 761 hora octava et dimidia.

33 hora tertia cum quinquaginta minutis. Cf. THLL VIII 1043, 47-56: minuta (*pars*), -ae f: *technice: de parte horae*.

Cf. Aug. civ. 5, 3, 20 sq. (CCHL 47, 131) momenta vero illa partium minutarum. *Statio radiophonica Vaticana*, 9 Oct. 1958, feria V: hora tertia cum quinquaginta duobus momentis 28 Oct. 1958, feria III: hora decima septima cum octo minutis.



*laudamus* canant. Hujus autem diei sperati et exoptati, diei, inquam, jucundi et illustris, diei denique clarissimi et festissimi memoriam suavissimam semper servabunt custodientque mentibus fixam.

Post hunc transitum aquarum duratarum sollemnem et singularem et saecularem diebus insequentibus iterum iterumque homines sive pauciores sive plures hanc planitiem ingentem mirabiliter levigatam transcurrerunt alii pedibus incedentes alii birōtis insidentes alii soleis ferreis<sup>34</sup> prolabentes alii denique non ita multi equis vel autocinētis modicis velocius vecti. Nam fuit glaciei crassitudo postmodum partim triginta centimetrorum partim circiter quinquaginta aut sexaginta, quin etiam metri integri<sup>35</sup>. Itaque quattuor Argunenses<sup>36</sup>, in quibus fuit Franciscus Eble, magister civium, autocinēto vulgari seu vulgato<sup>37</sup> a. d. III Nonas Martias (i. e. die quarto mensis Martii) ab Arbōnam, quem locum Romani antiqui etiam Arborem Felicem appellarunt<sup>38</sup>, transvecti sunt. Sed jam circiter centum passus longe a litore Helvetico currum stiterunt per jocum pedibus profecturi petiturique litus ipsum, ne ipsis, quasi essent aquis Helvetiis usi, vectigal pendendum vel poena persolvenda esset. Inde post consilia communicata colloquiaque habitata salvi Argūnam itinere semihorae reverterunt. Iisdem fere diebus etiam Eugenius Bolsinger, curio vicarius Argunensis exercitationis ludicrae amantissimus, soleis ferreis calceatus<sup>39</sup> trans lacum ad Arbonam et Rosacum<sup>40</sup> cucurrit, qui jam a. d. III Idus Februarias, i. e. pridie pompam glaciale, ferro labili<sup>41</sup> soleatus ex altero in alterum litus transmittens et inde per anfractum revertens intra paucas horas praecipiti cursu triginta duo chiliometra feliciter emensus est.

Illud autem carmen Gustavi Schwab recordati a. d. III Nonas Martias

34. Cf. *LATINIT.* 4 (1956) 123 (Egger).

35. De qua re me Carolus Ludovicus Weitzel per litteras die 8.º m. Martii 1963 datas amice certiore fecit.

36. Arguna, -ae f. = *Langenargen*; quod oppidulum Virtembergicum litoris Germanici est dioeceseos Rottenburgensis.

37. vulgo *Volkswagen*.

38. Cf. *ThLL* 419, 38 Arbona. II 428, 3-7 Arbor felix castra Romana prope lacum Brigantium, Arbona, hodie Arbon.

*AMM* 31, 10, 20 castra, quibus Felicis Arboris nomen est.

*TAB. Peut.* 3, 5 Arbor felix

Ibi anno praeterito parietinae fundamentaque castelli antiqui eruderata sunt et nummi quos cuderant Diocletianus, Constantinus, Constans, Gratianus, Arcadius. Hanc rem Josephus Frei, curio Arbonensis, mihi pro sua comitate renuntiavit (14. 3. 1963).

39. Cf. *ThLL* III 131, 61-67; calceatus, -a, -um (c. abl. -e. acc.)

40. Rosacum, -i n. seu Rorschachium, i n., adj. Rosacenus, -a -um, Rosacensis, -e, Rosaciensis, e = *Rorschach*.

De hoc nomine geographico me A. Kobler cappellanus, certiore fecit (28 Junii 1963).

41. Cf. *SERV. Aen.* 84 (ed. Thilo, Lipsiae 1878, p. 603, 2) *LUBRICUS ANGUIS labilis*.

(die V Martii) mulier quaedam quidamque vir equis vecti lacum transierunt, quos duae in cisium, quod mannus vehebat, impositae, cui vehiculo erat quidam trahō trahendus adjunctus, paucis ferro soleatis comitatae subsecutae sunt<sup>42</sup>. Sed jam pridie Kalendas Martias Eduinus Lengweiler, vir Arbonensis, tempore meridiano suam equam, cui nomen Holsatia, conscendit, in qua sublimis magnam partem totum trans lacum gelatum equitavit<sup>43</sup>. Quod iter duarum fere horarum ut tutius conficeret, ungulas ferratas<sup>44</sup> equae prudenter praeacuerat. Subsecuta est eum Helena, uxor ejus, autobirotulō<sup>45</sup>, vecta nonnullis comitibus comitata. Hos ad Argunam advententes jam multitudo mulierum virorum puerorumque telephonice praemonita praestolata procul plausibus vocibus clamoribus admirationis gratulationisque consalutavit. Qui quidem aliquamdiu hospitio comiter excepti horis postmeridianis cumulatim multis honoribus eodem viā, qua venerant, hilariores in Helvetiam regressi sunt. Sed cumulus celebritatum huic eximio gelicidio, quo quattuor numero homines glacie fracta in aquis perierunt<sup>46</sup>, illo die tributus est, cum lacus accolae pompa religiosa conjuncti concesserunt in litus adversum, unde moris antiqui consilii signum sancti discipuli dominici cum salute gaudioque cunctorum rettulerunt. Ceterum eodem tempore traha velivola<sup>47</sup> totam longitudinem lacus, id est circiter sexaginta chiliometra percommode percucurrit<sup>48</sup>.

Denique diuturnitas hujus gelus, quo totius lacus Brigantini summa aqua ita constricta est, ut superior potiorque pars per duos fere menses glacie concreta contegeretur<sup>49</sup>, inferior ad tres menses, profecto major longiorque fuit cunctis superioribus, qualium gelationum a Pancratio Weinheber mentio facta est, qui tradit in litterarum annaliumque monumentis primum anno DCCCLXXV commemorari lacum glacie obductum esse<sup>50</sup>. Ubi autem medio mense Januario aqua durescebat et glaciescebat, ibi post hoc tantum

42. Cf. Der Oberthurgauer [Arbonae], 7. Martii 1963, editio peculiaris, p. 4. Badische Volkszeitung N. 56 (die Jovis, 7. Martii 1963), p. 12.

43. Cf. Cic. Verr. II 4, 43 in his equitabit eculis.

44. Cf. ThLL VI, 1 572, 42. 573, 2 sq. (*ferratus, -a -um*).

III 131, 35-38 (*calceare*).

45. *Moped*; neograece dicitur μοτοποδηλατον; cf. Bacci. Lexicon 4, p. 489 *Motor-scooter*, p. 119 *bicicletta-motocicletta*.

46. Cf. Badische Volkszeitung N. 61 (die Mercurii, 13 Martii 1963), p. 7.

47. *Eissegler*; cf. Ov. Pont. 4, 5, 42 *velivolae ... rates*.

Cf. FORCELLINI, *Lexicon totius Latinitatis*, tom. IV, Patavii 1940, p. 928.

48. Cf. Allgäuer Anzeigebblatt [Immenstadt], ann. 104/ n. 37 (die Mercurii, 13 Martii 1963), p. 4.

49. Cf. Ov. trist. 3, 10, 37 *vidimus ingentem glacie consistere pontum*.

50. Cf. Bodensee Hefte, fasc. Dec. 1962, p. 456. Badische Volkszeitung n. 52 (sabbato, 2 Martii 1963), p. 6; n. 61 (13 Martii), p. 7.

Cf. Tac ann. 13, 35 *obducta glacie humo*.

gelicidium medio mense Martio glacies mollescebat paulatim dissolvenda<sup>51</sup>. Porro cum inde ab a. d. III Nonas Martias superficies humillima paulatim levaretur, tegimentum glaciale lacus gratiosi nondum diruptum, sed secundum litora conexu magis magisque exsolutum, cujus crassitudo nondum erat minor viginti centimetris, tamquam ingens gleba glacialis tepore solis aliquatenus mollita circiter a. d. XIII Kalendas Apriles super aquas natabat ritu rerum dissolubilium jamjam prorsus in frustra stillasque solvenda<sup>52</sup>.

Hanc autem rem totam maxime memorabilem ceterisque anni temporibus vix credibilem duximus diligentius litteris mandandam esse, ut posteriq; quoque post multos annos haberent, unde hoc spectaculum fideliter descriptum recognoscerent factum primo anno concilii universalis vicesimi primi ejusdemque Vaticani secundi sapientissime ab Johanne XXIII, Summo Pontifice, interea eheu vita functo convocati. Ceterum «cum per magna camporum spatia porrigeret exercitum nec numerum ejus ad mensuram comprehenderet Persarum rex<sup>53</sup> insolentissimus, lacrimas profudit, quod intra centum annos nemo ex tanta juventute superfuturus esset»<sup>54</sup>. Qua cogitatione computationeque ne contristemur, cum certo sciamus nos vita functos potentia insuperabili ejus, qui non solum mundum conditum cottidie administrat<sup>55</sup>, sed nostris quoque diebus miracula facit praeter expectationem grandia, translatum iri in inocciduum id regnum, cujus dies nescit occasum<sup>56</sup>.

Scribebam mense Julio anni MDCCCCLXIII.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

51. Cf. CYPR. GALL. JOB. 107 laxatur glacies solis mollita tepore (ThLL VI, 2 2002, 59).

52. Cf. *Deutsches Volksblatt* [Stuttgartiae], ann. 98/n. 67 (die Mercurii, 20 Martii 1963), p. 9.

53. Xerxes (regnavit annis 486-465 a. Chr. n.) = Assuerus; cf. VULG. I Esdr. 4, 6.

54. SEN. dial. 10, 17, 2 (ed. Grimal, Paris 1959, p. 65); cf. HERODOT. 7, 45 sq.

55. Cf. AUG. in euang. Joh. 24, 1, 3-23 (Cchl 36, 244). serm. 242, 1, 1 (Migne, PL 38, 1139).

56. Nostris diebus mentes hominum specie machinamentorum technicorum ita capi solent, ut vix miracula naturae animadvertant. In hoc genere certe miranda efficiuntur, ut ille volatus, quo Gordon Cooper capsula speciali inclusus a. d. XVII Kalendas Junias et insequenti die intra triginta quinque horas globum terrae [cf. CIC. rep. 6, 16. Tusc. 1, 68. PLIN. nat. 2, 56] vicies bis ita circumvolavit, ut solem, qui ortu et occasu diem peragit [cf. AUG. in euang. Joh. 34, 2, 6 sq. (Cchl 36, 311)], intra paucas horas saepe cerneret mox orientem mox occidentem. Similiter Valerius Bycovschi, vir natione Russus, octogies bis et Valentina Terescova, Russa viginti sex annos nata, duobus diebus post subsecuta undequadrages globum terrae circumvoltaverunt a die quarto decimo mensis Junii usque ad diem undevicesimum ejusdem mensis. Sed quae contentis tantum viribus homines perficiunt, Deus quasi obiter perpetrat, quippe qui cottidie totum mundum gubernet. At consuevimus cottidiana non jam mirari, tantum rara.

# NOVA ET VETERA

## TELEVISIO MIRANDUM HUIUS AETATIS INVENTUM

Nostris hisce diebus, quibus Dei nutu et voluntate, hominum inventis tot tantisque gloriamur, peropportune offertur argumentum his pagellis tractandum illius inventi vere mirabilis, quod voce hybrida *televisio* nuncupatur.

Et quamvis res omnino peregrina videatur, spero tamen me in hac re, quamtuluncumque tribuam, lecturis gratum fore.

Televisionis nemo non plurimi faciet, qui scrinium televisorium cum in domo sua habeat, rerum eventuumque imaginum ac sonorum transmissionem et viderit et audierit. Reapse omnes quacumque ope possunt, capsellam televisoriam sibi comparare satagunt, ut aedes suas visione ejusmodi et auditione jucundas reddant. Non frustra haesere omnes admiratione perculsi ob tantam novitatem.

Re vera televisio est magnum — ne dicam maximum— huius aetatis inventum, adeo ut a nonnullis «televisionis magia sive miraculum» jure et merito sit appellata.

Ex graeco *τῆλε* longe vel *procul*, et latino *visto* conflata vox est, et ideo televisio perinde sonat atque *visio ex longinquo*. Idem igitur televisio est ac 'transmissio imaginum, longo spatio interjecto, per herzianas undas'. Vel si mavis est perfectio phototelegraphiae quae ope filorum ductorum sive per undas radio diffusas imagines se moventes transmittit. Nititur autem televisio in condensatione transeunte punctorum imaginis (id est in ictibus fluxus electrici) ad producendas singulis secundis sexdecim imagines quas oculus humanus postulat.

Quae in universum dicta sunt. Sed ut totam rem paulo fusius explicemus, nunc de processu et machinatione totius televisoriae artis.

### 1. De exploratore et progeneratore

Cardo totius televisionis persimilis est multis rationibus ei, quod nostra item aetate maximos habuit successus, id est radiophonio.

Porro, quo pacto id fit? Duo elementa haec praestant: videlicet «explorator», quo imago transmittitur, et «progenerator», qui eam recipit. Quae quidem instrumenta lucem imaginis transformant in ictus electricos, cum ad exploratorem pervenit. Deinde modo fere subito, cum ad progeneratorem devenit, huiusmodi ictus electrici in lucem convertuntur; haec autem lux exprimit imaginem acceptam, quae omnino similis est transmissae.

Explorator — qui, ut patet, maximi est ponderis in transmissione—,

appellatur hispanice *analizador*, *explorador*, vel etiam *escudriñador*. Jam vero, inter instrumenta quamplurima a peritis excogitata ad solvendas difficultates *exploratoris*, tria potissimum numerantur: *discus perforatus* Nipkow, *tubus dissector* Farnsworth, *iconoscopium* Zworykin. Horum postremum ad rem maxime idoneum est visum.

## II. *Iconoscopium, elementum transmissionis maximum*

Iconoscopium nihil aliud est nisi tubus sive valva electronica quae intus fert elementum, quod musicum appellatur. Hoc musicum componitur ex globulis permultis Cestii, qui se habent tanquam minusculae cellulae photoelectricae, quaeque opticam imaginem accipiunt. Ex ipsa lucis vi, quam unusquisque globulus accipit, hic globulus admittit cursum electricum majoris minorisve intensitatis.

Itaque, acervus omnium globulorum, qui musicum constituunt, transformant in iconoscopio lucem et umbras scaenae transmissae in figuram quadratam quae idem valet atque ictus illos electricos.

Age vero, ejusmodi impulsus varias subeunt operationes, quarum una in eo est ut dissolvatur imago transmissa in mille particulas sive lineas directas seu «horizontales», quae ex ordine perscribuntur. Postea vero impulsiones electricae, rite amplificatae, mittuntur ad antennam stationis televisoriae, cujus ope in spatia per undas propagantur.

Jam vero, undae ab antemna dispersae «frequentias» habent altiores quam in radiotelephonia (frequentia nominatur «numerus ondulationum motus vibratorii in unitate temporis»). Undae autem captantur ab antennis in aedibus convenienter aptatis. In domibus enim sunt scrinia televisoria, quae cum syntonica efficiuntur cum statione certa televisoria, audiuntur et videntur tum mirifici vocum et tibiarum nervorumque cantus, tum musici concentus omne genus, tum nuntia radiophonica, tum denique rerum eventuumque imagines ante oculos relatae, quae quamvis procul sint aut fiant, tamen velut praesentes conspiciuntur\*.

## III. *De cinescopio, quo receptio possibilis redditur*


Cum autem signa in receptorem permeant televisionis, datur processus inversus, adeo ut impulsiones electricae receptae in imagines opticas permittentur. Hoc autem fit per *cinescopium*, cujus est imagines exprimere sive reddere.

Ut liquet, cinescopium est valva radiis catholicis praedita, forma quidem conica, cujus basis crystalli est facies tubi, qui albi lucidi vices gerit. Hoc album est tanquam frons receptoris, quam aspiciunt, qui televisioni intersunt.

\* Cf. A. A. S. 1952 p. 216

Collum vero cinescopii — quod in capsella reconditur televisoria — impingit jactus continuus electronum in faciem interiorem albi, quod cooperum est materia fluorescenti. Cujusmodi materia redditur lucida ex electrorum impactatione, et ad amussim imagines exprimit ab statione missoria missas, easque aspectabiles efficit in oblectamentum spectatorum.

Alia sunt quae de ratione televisionis dici possunt (technici recentiores justa volumina scripserunt, utpote qui materiam late patentem ad scribendum nacti essent), sed longius est omnia persequi; et fortasse quaedam notiora sunt, quam ut referre opus sit.



- |  |   |
|--|---|
| 1. antena, antena                          | 7-10. orbiculi signatorii, botones de control |
| 2. album (lucidum), pantalla (lumtnosa)    | 7. volumen, volumen, intensidad               |
| 3. scrinium ligneum, mueble de madera      | 8. canalis, canal                             |
| 4. megaphonium, altavoz                    | 9. dissimilitudo, contraste                   |
| 5. conexio antennae, comexión de la antena | 10. color, color                              |
| 6. megaphonium, altavoz                    | 11. pedes, fulcra, fulmenta, ptes del mueble  |

## Nunc alia subdam vocabula televisionis praecipua:

## INDEX VOCABULORUM

<i>televisión</i> , televisio, onis; telehorama, atis	<i>válvula</i> , valva, ae; valvula, ae
<i>sala para televisión</i> , televisorium, II <sup>1</sup>	<i>tubo</i> , tubus, I
<i>televisor</i> , televisorium [instrumentum]; cap- sella televisoria; scrinium televisorium	<i>antena</i> , antemna, ae; antenna, ae
<i>televisora (estación)</i> , statio televisoria	<i>frecuencia</i> , frequentia, ae
<i>televisora Nacional</i> , statio televisoria Natio- nalis	<i>frecuencia modulada</i> , frequentia modulata
<i>ondas televisorias</i> , undae televisoriae	<i>glóbulos</i> , globuli, orum
<i>célula fotoeléctrica</i> , cellula photoelectrica	<i>glóbulos de Cesto</i> , globuli Cesti
<i>pantalla</i> , album, I	<i>rayos catódicos</i> , radii cathodici
<i>pantalla luminosa</i> , album lucidum	<i>tipo electrónico</i> , typus electronicus
<i>capa fluorescente</i> , tegumentum, operculum fluo- rescens	<i>mecanismo de un teletipo</i> , machinatio, machi- namentum teletypi
<i>ondulación</i> , ondulatio, onis	<i>impacto de electrones</i> , electronum ictus, impac- tio, onis
<i>número de ondulationes</i> , numerus, copia ondu- lationum	<i>descargas continuas de electrones</i> , electronum continuae emissiones, projectiones
<i>condensación transitoria</i> , condensatio transiens, euntis	<i>impulsos de corriente</i> , impulsus fluenti —flu- xus— electrici
<i>condensación transeúnte de los puntos de la ima- gen</i> , condensatio transiens punctorum imaginis	<i>sintonizar</i> , sytonicum efficere, reddere; ad sytoniam componere
<i>corriente eléctrica</i> , fluentum electricum; fluxus electricus	<i>sintonía</i> , sytonia, ae
<i>cuello del cinescopio</i> , collum cinescopii	<i>programa de televisión</i> , televisionis index, pro- gramma, atis
<i>movimientos vibratorios</i> , motus vibratorii	<i>espacio (del programa)</i> , spatium; pars, tis
<i>iconoscopio</i> , iconoscopium, II	<i>producción de 16 imágenes por segundo</i> , sedecim imagines singulis secundis educuntur, efficiuntur
<i>cinescopio</i> , cineascopium, II	<i>cara anterior del receptor</i> , frons receptoris
<i>analizador</i> , explorator, oris	<i>fluido eléctrico de mayor o menor intensidad</i> , fluentum electricum majoris minorisve intensitatis
<i>mosaico</i> , mustivum, I	
<i>imagen óptica</i> , imago optica	

1. *Televisorium* accipi potest pro «sala de televisión». Attamen ambiguum videtur esse vocabulum, nam si subauditur «instrumentum», *televisorium* significare etiam potest «aparato de televisión». Ad tollendam igitur vocis ambiguitatem, potius usurpanda erit, exempli gratia, «ex(h)edra televisoria, conclave televisorium» vel «ex(h)edra televisionis».

Ceterum, non satis probanda videtur vox *televisificus*, id est in *-ficus* desinens, nam vocabulum *tele-visi-ficus* ex tribus membris conflatur —quod raro apud Latinos occurrit, at frequentius apud Graecos—, et sat multa hujusmodi composita (in *-ficus*) rara aut poetica habentur.

Cum autem e supino *vis-um* eruantur *vis-or* et *vis-orium* (*vis-ivus*), haec vocabula ad nomen adjectivum *vis-ortus*, *a*, *um* facile et fere necessario nos ducunt. Satius igitur nobis probantur *televisoria ars*, *albus televisorius*, *cer*.

—Quae vero de televisione scripsi, ex notis scriptoribus excerpti et haud pauca verba ex praestantissimo Card. A. Bacchi lexico et a P. Ildephonso González, CMF. sumpsi; totamque lucubrationem recognovit ac nonnullas voces et locutiones —quae aptiores videbantur— ipse proposuit PALAESTRAE LATINAE Moderator.

V. *Televisionis commoda et incommoda*

Tandem per televisionis magiam distentum curis animum paulisper relaxamus, et a negotiis ad ludicra honeste divertimus. Itaque, nihil fructuosius, nihil utilius, tam in familiari quam in sociali hominum vita arte ista televisoria, qua pro re nata momento quidem temporis, et in nostris ipsis aedibus commorantes, dissitas mundi partes nostris se oculis offerunt, et quae procul aguntur oculis objecta videmus, et veluti manibus, ut ita dicam, contrectamus. Faxit Deus ut hujus artis inventum, sicut omnibus in rebus, multas secum hominibus utilitates afferat, ac potissimum in Dei summi inventoris laudem cedat.

Namque, pro dolor, subinde magnam videmus importare perniciem, praesertim adulescentibus. Omnes in eadem navi sumus, id est mundi, ac proinde in eisdem certe periculis versamus. Ita, speciosa ista atque pulchra, quae avidè in albo televisorio spectantur —aliquando, ne dicam saepe—, «foris quidem nitent rerumque facie animum alliciunt», sed intus mala crebro et misera sunt.

Quapropter ii, qui reipublicae clavum tenent, et quos penes est de televisionis indicibus censuram ferre sententiamque dicere, dare operam in primis debent ut nihil mali, inepti nihil in televisionem irreat, quod civium mores offendat.

Insuper, incredibile est quantum temporis in televisione spectanda miserandum in modum teratur. Contigit siquidem in televisorio ut aliud aliud spectaculum subsequatur, et omnia prorsus videre quis velit, ideoque munia neglegat sua, et officiis suis satis minime faciat. Quo fit ut ad multam noctem (nocte autem televisio locum fere habet) somnum juvenes protrahentes, insomnes fere noctes ducant.

Haec inter cetera esse televisionis incommoda nemo negabit, qui rei periculum fecerit. Verum enim vero, nullum hominis inventum, quantumvis minimum, flocci faciendum et pro nihilo ducendum, quamvis inde mala, quae est hominum malitia, ortum habere videantur. Procul dubio mala certe oriuntur ex televisione, sed etiam bona, et quidem bene multa. Nam, si quis sibi temperat, modumque praescribit, tantum aberit ut televisio noxia sibi sit, ut e contra magno usui esse possit, et exinde magna sequantur cultus humanitatisque emolumenta.

Utinam ergo Deus promoveat superique fortunent hanc mirificam televisionis artem, quam praeclare Ipsemet —hominum quidem ingenio— inventam et nostris temporibus in commune bonum institutam voluit. Inde vitabitur morbus ille pestilens, qui hodiernis moribus inolevit, quo familiae membra inter se dispersa, hac illac pro suo quisque lubitu extra domum vagantur, nec in proprio unquam domicilio consociata se habent.

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO, O. S. B.

Montiserrati.



# P E R O R B E M

## III Conventus Internationalis ad linguam latinam vivam reddendam

Tramine citissimo vectus Argentoratum perveni hora circiter decima, splendente sole quasi meridionali, quo jam imber vespertinus parabatur. In frequentissima statione illa ferrivia vir latinatis amans de recta via deduci non potest cum ante januam prostet nuntius latine scriptus quo facile Conventus sedes inveniat... Summa comitate fraternaue caritate me in Seminario Dioecesano hospitio excipit H. Ginder, ejus domus fidelis ac prudens oconomus, cui his verbis animum exhibeo pergratum. Horis postmeridianis in stationem denuo me confero alios excepturus collegas: Jiménez Delgado, Basilium Hypeau, P. Caelestem, Holzer, Mangeot: quos omnes PALAESTRAE LATINAE lectores jam noverunt humanissimos praestantissimosque viros.

Latine loquimur ad stationem laetissimi Palaestratae. Accedit juvenis italicus:

—Latine loquimini?

—Ipse audisti.

Statim sermonem nobiscum conserit; tanta tamen et dicendi facultate et verborum copia et simplicitate in colloquendo pollet ut, cum vicennis sit neque studia latina in Universitate Mediolanensi adhuc compleverit, Ciceronem diceres redivivum...

Quo perspectiorem habeas ordinem rerum in Conventu actarum, programma —uti dicitur— prout traditum est latine exscribam, quibusdam additis notulis ad quaedam illustranda.

### Lunae die Sept. II.

*Nona hora:*

—Nuntius Universitatis Francogallicae Summi Magistris.

—Colloquium inibit Marcellus SIMON, Facultatis Litterarum Argentoratensis decanus.

—Adloquetur Petrus GRIMAL, Sorbonnensis Magister, Conventus praeses.

Eo die nos excipit alma Argentoratensis Academia plurimarum dissitarumque gentium circumamicta vexillis; in cujus limine magnis litteris titulus inscriptus erat:

### III CONVENTUS VITAE LATINAE — 4 SEPT. — MCMLXIII

Nova animi exultatione veteres consalutamus amicos: cl. v. R. Schilling, qui officio fungitur ab actis in Conventu moderando atque parando, M. Rambaud, Lugdunensem

magistrum, gracilem Bonamicum Actensem (seu Goodwin Beach), Jac. Fàbregas et F. Vallejo, sacerdotes hispanos, Desessart, Niccollet, H. Guiter cum uxore suavissima, H.

Huxley, anglum aliosque bene multos qui jam Lugdunum conveneramus. Maeremus carissimos quosdam abesse viros. Saepe, et heri

et hodie mirantur nonnulli Mirum non convenisse nostrum et causam rogant...

*Decima hora:*

—Magister Henricus DES ABBAYES referet de rerum naturalium scientia latino sermone exponenda. —Disputabitur—. Dominus Clemens DESESSART disseret de hoc argumento: «Non sufficit latinum sermonem inter doctos communem esse».

*Duodecima hora:*

—Universitatis Argentoratensis Summus Magister sua in domo (*Hotel du Rectorat*) omnes Conventus participes recipiet.

Post H. DES ABBAYES, M. Rambaud rogat de quibusdam rebus novis latine reddendis nonnullaque proponit: quomodo dicas «tanto por ciento» =  $\frac{\circ}{\circ}$ . «transistor», «rail»... Dicamus «de fissione nucleorum», non «de rumpendis atomorum nucleis»...

Consessus praeses proponit num «societas» constituatur seu condatur oporteat ad haec similiaque vocabula vel aptanda de veteribus vocibus, vel exquirenda de thesauro latinitatis, vel nova omnino proponenda. —Oportet sane. Nemo tamen dixit olim hujusmodi fuisse societatem --«Societatem dico illam Latinam Monacensem— et misere peritise, Mirum nostrum nostrosque amicos jam multos annos in *Palaestra Latina* id quoque facere et propugnare... Sed non omnes noverunt omnia vel meminerunt...

Desessart commentationem utique latinam omnino aptis scitisque pictis illustravit tabulis. At Des Abbayes totam fere commentationem gallice legit; quaestionem tamen summi momenti agitavit.

At non placuit consessus matutinus... In commentariis meis scripsi: «Conventus Gallico-latinus videtur... Commodè in Galliam duos ante menses veni ut studio et usui Gallorum sermonis vacarem...» Plurimorum

etiam convenientium animi eadem de causa conturbari visi sunt... Feliciter tamen evenit quod ratio procedendi in Conventu ad bonam frugem revocata est.

*Quinta decima hora:*

—Magister Bonamicus Actensis referet «de novis methodis linguas docendi». — Disputabitur.

*Sexta decima hora:*

—Magister Vandick da NOBREGA, explicabit cur latinus sermo omnium scientiae rerum magnarum atque artium utilis sit.

—Magister Albertus GRISART explicabit quantum vocabulorum collocatio ad breviter et subtilitatem linguae latinae proficere possit.

—Magister Ric. AVALLONE disseret de hac causa: «Ut latina lingua vivat et vincat libertas et concordia sunt maxime necessaria».

*Duodevicesima hora:*

—Europaei Consilii Palatium Conventus participes adibunt.

Praefuit P. Jiménez consessit. Omnes latine locuti sunt disertissimi viri Beach, Grisart, R. Avallone, cui Musa dedit ore rotundo loqui, qui etiam bis terve omnium plausibus orationem interruptam habuit. Cl. vir J. Perret, Doctor Sorbonnensis ex tempore latine sententiam dixit aperuitque de his quae a Dre. Grisart proposita erant. Etenim Dris. Grisart relatio et doctrina et oratione omnibus numeris perfecta mihi visa est et maxime placuit. —A fuit Vandrick da Nóbrega. —Cl. vir Caillou de professore meminit qui latine loqui docuit pueros puellasque quinque annorum idque feliciter processisse. Dolendum tamen quod hujusmodi portentum «pelliculari» non liceat...; placeret sane.

Europaei Consilii Palatio excepti sumus maxima humanitate a cl. v. Haigh, moderatore «doctrinae tradendae et rerum quae ad humanitatem scientiamque pertinent apud Europaeum Consilium» (*de l'enseignement et des affaires culturelles et scientifiques du Conseil*

*d'Europe*). Conclavia illa splendentia tum primum sermone latino resonuerunt quae totiens romanicarum linguarum resultarunt sonis... Sermo latinus primus Europam conformavit, iterum iterumque «Europam patriarum» conformare utique perget.

**Die Martis, Sept. III.***Nona hora:*

—Magistra Henrica MALCOVATI referet de eligendi modo antiqui medicique aevi atque recentiorum temporum latina scripta. —Disputabitur.

*Decima hora:*

—Dominus Johannes NEVEUX explicabit quomodo latino sermone Sienkiewicz in Trilogia usus sit.

—Reverendissimus Pater J. JIMÉNEZ DELGADO disseret de Stultifera Nave Sebastiani Brant.

*Undecima hora:*

—Excursio ad Montem Sanctae Odiliae (in itinere prandium capient, postremo vina Alsatica in cellarario quodam sodales gustabunt).

Non placuit spectata femina H. Malcovati quod, —sua pace dicam— cum maxima polleat et scribendi latine et loquendi facultate, latine tamen locuta non est. Quamquam relatio maxime utilis aestimanda fuit. P. Jiménez autem omne tulit punctum quod latine, quod breviter, quod opportune. Nam verba

fecit de Sebastiano Brandt nobilissimo reatarum litterarum scriptor Argentoratensis.

Cl. vir Neveux optat ut mutantur tempora, ut mutantur mores in linguae latinae usu. Quin potius mutamus mores ut mutantur et tempora?

Hora undecima finis operi imponitur. Humaniores viros feminasque rusticari licet.

Litterae enim vino excitantur litterisque extolluntur vina. Automataris raedis iter per mediam urbem monumenta praecipua

lustraturi facimus et prandium ad aëriportum sumpsimus. Vina Alsatica in cellarario «Vins d'Alsace Dopff» degustavimus...

**Die Mercurii, Sept. IV.***Nona hora:*

—Magister Carolus BÜCHNER referet de animis latina per scripta formandis. —Disputabitur.

—Magister Renatus FOHALLE disseret de latinis scriptis et viventi latina lingua.

*Decima hora:*

—Magister Alanus MICHEL de hoc argumento disseret: «Quomodo Alberti Camus genus dicendi latinis scriptis imbutum sit».

Paucis his addere possum. Cl. vir C. Büchner summas omnium audivit laudes; cum tamen germanice maximam partem locutus sit, adstantium haud pauci nullum fere fructum e tanti viri dissertatione percipere potuerunt.

Tunc Radiophonii et Televisionis curatores in taeniam magnetophonicam induxerunt colloquium cum Bonamico Actensi. Quod quidem mihi placuit quam maxime ut palam ostenderetur lingua latina vigens et perenne inter viros ex dissitis regionibus et linguis aptum vinculum et colloquendi instrumentum.

Deinde Rhenum flumen videre volui et Germaniam saltem ingredi... Nam inter Germaniam et Alsatiā medius decurrit Rhenus qui Argentorati margines lambit et fertiles reddit. Cum amicis hispanis J. Fábregas et I. Revilla, O S. R., flumen transiit et —nullo adhibito documento— Germaniam intravi Rhenum undique undequaque conspexi, re-

spexi, despexi... mentis oculis spectans et Caesaris legiones et tot saecula ut fluminis aquas defluentia... Hoc ponte et flumine nunc Europa in novam spem et laetitiam evecta novum mundum presso pede ingressa est et in dies progredi satagit, cujus caput et cor Argentorati sine dubio inveniuntur.

In consessu vespertino haec acta sunt:

*Quinta decima hora:*

—Magister Theseus TSANNETATOS de hoc argumento disseret ut latina lingua in Graecia nunc vigeat.

—Magister A. HAURY proferet Compendium Syntaxis linguae latinae ad discipulos adultae aetatis aptum.

--Vota conventus.

—in domo municipalitatis (*rue Brûlée*) Conventus participes Urbis Consul Petrus PFLIMLIN recipiet.

—Cena communis in domo Aubette (*Place Kléber*).

Lectis votis, conventui finis est impositus. Extrema verba fecit clarissima doctrix H. Malcovati, nunc commode suavissimo ac numeroso sermone de suo latinitatis thesauro locupletissimo prolata. Locutus est etiam illustris vir Joannes Capelle, qui nunc in Ministerio Publicae Institutioni provehenda officium summi momenti Lutetiae Parisiorum agit, ubi etiam pro nostris rebus tuendis toto Marte certat certabitque.

In Palatio municipali vale dixi carissimis ac desideratissimis ex tot gentibus amicis congregatis.. Valet omnes dum Romam convenire iterum licebit!.. Cenae non interfui.

Si Conventum argentoratensem cum praecedenti lugdunensi conferre liceat, haec libenter dicam: nonnulla meliora, nonnulla inferiora fuisse.

Nam —minor numerus eorum qui commentationes miserunt et legerunt;  
—minor librorum novorum numerus ad latinam linguam tradendam expositorum.

Pauci libri, pauci vel nulli commentarii latini vel de re latina. Ex libris alumnis scriptis optimum duco cui est index *Galli duo*, quem Marcellus Lefaure, vir humanissimus, paravit, in quo duos pueros Gallos inducit veterum romanorum urbes domosque lustrantes a quibus plurima discunt. Lepidissima ac lucidissima narratio.

Liber etiam summi momenti *Dizionario Italiano-Latino* a cl. v. Oresti Badellino paratus, grande quidem et locupletissimum dictionarium summe ab omnibus faciendum aestimandumque.

At —major frequentia convenientium et ex pluribus regionibus, saltem  
24;

—major numerus magistrorum in Universitatibus docentium;  
—major numerus latine loquentium; ergo major quoque usus sermonis latini et in consessibus et in colloquiis;  
—major quoque voluntas nisus prosequendi ad causam nostram in melius cotidie provehendam.

Qua propter et media aptiora proposita sunt —ut speramus— in posterum efficaciora.

Si optanda liceat quoque proferre in proximos conventus, haec addam:

—tandem aliquando latine omnia omnino fiant: usu patefactum est id fieri posse neque nimia difficultate ab omnibus fieri posse. Qui nesciat, taceat vel interpretem quaerat..

Restat ut quam maximas gratias tribuamus omnibus qui conventum parandum congregandumque curarunt, quique omnibus modis dies beatissimos Argentorati nobis tribuerunt. Est quod omnibus laudibus etiam cumulemus clarum virum E. Aubanel qui commentationes omnes, typis mandatas, omnibus summa munificentia distribuit, quique, qua est modestia ac pudor, cum ad felicem conventus exitum quam qui maxime contulerit operam, semper et ubique in umbra permansit.

Lege, si libet, Conventus Vota.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

### III Convventus internationalis vota ad Linguam Latinam vivam reddendam

III Convventus internationalis ad Linguam Latinam vivam reddendam Argentorati habitus, a die II ad diem IV, vota confirmat quae in prioribus convventibus, in Avenico anno MCMLVI, in Lugdunensi anno MCMLIX, decreta sunt;

cumque, expletis laboribus, Convventus socii, censeant Linguam Latinam instrumentum perstare efficax ac probatum—in disciplinis mathematicis, biologicis, physicis, liberalibus—, ut docti homines inter se commercium ineant,

ac praeterea, cum usu ex Convventu compertum habeant in disputationibus habitis cum sociis, qui ex viginti quattuor nationibus convvenerant, quorum multi philologiam non profitebantur, potuisse eos Lingua Latina colloquia conserere tum in publicis consessibus tum in privatis sermonibus,

reverenter orant, ut Consociationes Internationales cultui humanitati-que provehendis eos omnes adjuvent atque cohortentur qui laboribus et doctrina annituntur, ut non modo cognoscatur, verum etiam in usum inducatur Lingua Latina, quae praeteritis temporibus et omnes homines inter se conjunxit multumque momentum habuit ad fines limitesque gentium delendos, et quidem in mentis cogitationisque campo, ubi fines omni carent lege, ideo haec vota seu optata nuncupant:

*I Votum.* — Optant ut instituatur Coetus Internationalis ad lexicon vocabulorum latinorum conficiendum, quo contineantur verba cujuscumque generis ad eas notiones exprimendas, quae apud scriptores Linguae Latinae classicos non inveniuntur.

Cum vero compertum sit singulorum conatus, quamvis praestantissimi sint, in quandam rerum confusionem facile devenire, socii optant, ut peritorum labor in eo praesertim sit ut opera scientifica et technica ex antiquis scriptoribus exquirantur;

atque ut Coetus nationales rebus investigandis permoveantur ad stipem copiose conferendam in hoc inceptum seu negotium, quod, cum ex sua natura urgeat et summa polleat utilitate, maximi quoque momenti est ad disciplinas omnes fovendas.

*II Votum.* — Corpus paretur internationale *Lectionum Latinarum*, quae et ex antiquis et ex Medii Aevi et ex recentioribus scriptoribus seligantur;

hujus Corporis volumina sua natura simplicia sunt, quibus indoles propria cujusque scriptoris manifesta fiat.

*III Votum.* — Ut efficacius Lingua Latina tradatur, illa magistris praebeantur subsidia seu instrumenta auditoria-visualia, quibus alumni usu cotidiano sermonem latinum adhibere possint,

ut ratione quadam internationali — in diversis nationibus certisque temporibus— latini sermonis exercitationes, colloquia, cultusque congressiones aperiantur.

ut alumni summa praebeatur praecipuarum regularum syntaxis latinae et ut rationes seu methodi institutionis directae et progredientis Linguae Latinae, ab inita schola media, foveantur.

---

Conventus exoptat ut qui Conventui adfuerunt inter se quadam consuetudine jungantur et ut alumni, ad commercium epistularum inter se ineundum ex una natione in aliam, inducantur.

In optatis quoque est ut, expletis tribus annis, in alia natione extra Galliam —quod si fieri possit Romae—, Conventus proximus habeatur.

## BIBLIOGRAPHIA

BOUYER, LOUIS. — *El sentido de la vida sacerdotal*. Barcelona, Editorial Herder, 1962. pag. 196.

Magnae sine dubio aestimationi erit hic liber Sacerdotibus Christi, atque dignissimus qui omni in sacerdotali bibliotheca, legendus consulendusque, repnatur. In quo P. Bouyer C. O. examini subdit varia vitae sacerdotalis adjuncta et agendi rationes, quibus facem intelligentiae ususque adminiculum praebet in sacerdotale commodum in primis supernaturale.

Rerum argumentorumve series peropportuna: Ministerium apostolicum; verbum divinum; verbi ministerium; Sanctus Paulus, praedicationis specimen; Christi sacerdotium; ministerium sacramentale; Maria, Sacerdotis inspiratrix; Intercessio Christi; orationis ministerium; David, ut orationis homo; Bonus Pastor.

Liber hic solidus, jucundus lectu, non solum sacerdoti et religioso sed cuilibet etiam perfectionis christianae amatorum utilissimus. Ex opere primigenio gallico

«Le sens de la vie sacerdotale», in linguam hispanicam convertit clarus vir Alexander Ros coacte, ut Gelliana voce utamur, de «idea» deque litteris auctor.

CELAM. — *Guía para el apostolado vocacional*. Editorial Herder, Barcelona 1963, pag. 296.

Primus hic liber ex multis locis seu textibus, a «consilio Episcopali Latino Americano» (CELAM) comparatis, qui ducant, regant, foveant facilioremque reddant cultum vocationum sacerdotilium et religiosarum, praesertim vero in plagis hispanicis americanis.

Hoc primum volumen, duas amplectitur partes: hinc agitur de introductione ad pastorem vocationum artem, inde autem de Exercitatione pastoralis ad eadem vocationes efficienter promovendas.

Opus aptius complent duae magni momenti appendices: Documenta de vocatione officialia et Bibliographia de re vocationali.

PHILOPONUS, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

Card. BACCI, A. — *Lexicon vocabulorum quae difficilius latine redduntur*. Editio 4.<sup>a</sup>, Romae, Societas Libraria «Studium», 1963, p. 848; L. 6000.

Nemo est qui ignoret quantam habeat auctoritatem, in his quae ad linguam latinam spectant, clarissimus vir idemque S. R. E. Cardinalis A. Bacci; cuius sententia et scripta summo gravantur pondere: cum usu perceptam penitusque investigatam habeat linguam latinam, — tot annos ab epistulis fuerit Romani Pontificis ejusque praeclariora documenta ipse lingua latina ornaverit, — *Latinitatem* — id est Commentarios Vaticanos linguae latinae excolendae — condiderit et moderatus sit, — hocque ediderit recentioris latinitatis lexicon.

De quo si sententia exquiratur, fatendum sane multa in eo esse proposita, accommodata, excerpta vocabula quibus res nostrae aetatis egregie latine exprimantur.

Et est quod de hac quarta editione magnopere gaudeamus, qua et libri momentum significatur et animi ardor multorum in lingua latina penitus in dies cognoscenda usuque adhibenda comprobatur. In qua etiam id animadvertimus libenter et grandiore voluminis molem — cum haud pauca nova inserantur verba in latinum inducenda — et ipsius clarissimi scriptoris quendam animi sententiaeque ampliorem sensum in novis verbis recipiendis. Licet enim in summa linguae latinae puritate defendenda perstet et ab illa sibi proposita

ratione — res nimirum non uno verbo significandi sed copioso et redundanti vocum ambitu et explicatione — non recedat, tamen haud semel illam legimus notulam «haec vox necessaria est ad rem clare significandam» (cfr. *algebra Albania...*).

Perlibenter etiam non nullos ibi legimus memoratos auctores eorumque scripta; quibus merito et alii admodum insignes addi possunt, ut G. Lurz, J. Lis, Em. Jové, I. González, J. Holzer, J. Fornari, J. Wagner, A. Avenarius, C. Eichen-see... qui in *Alma Roma*, in *Societate Latina*, in *Juventute* (hungarico), in *Palaestra Latina* scripserunt, et quorum sententiae in re non sunt spernendae.

Qui vero de novis fingendis et optandis verbis latinis in PALAESTRA LATINA agunt maximam habent gratiam clarissimo viro qui in hac nova lexici editione eorum scripta aut aperte commemorare voluit (ut s. vv. *paraŝango*: «luticipulum»; *carta a carbone*: «charta transcripticia»; *copie a carbone*: «transcusa exempla»; *sigaretta*: «hispanica»...); aut tacito scriptorum et Commentariorum nomine verba ab his proposita inseruit (ut s. v. *giacchetta* habes: «thorax manicatus» cfr. PAL. LAT. 300 (1960 101), s. v. *grappetta*: «uncinus; machina uncinandis chartis [uncinatorium]» (cfr. PAL. LAT. 26 (1956) 171), alia...

Iterum, salva pace: voces, quae in *-graphum*, seu ut Card. Bacci aliique scribere malunt *-graphium*, desinunt, non a *-graphio* substantivo, sed a verbo graeco γράφω originem sumunt (cfr.



PAL. LAT. 26 (1956) 169; 30 (1960) 28-29). Etymon quidem emendatum est (cfr. *fonografo*), sed non vocis explicatio (vox enim «graphium»...).

Ceterum de acceptis in lexico litteris *i* et *v* est quod clmum. auctorem laudemus ejusque sententiam omnino probemus.

JOS. M.<sup>o</sup> MIR, C. M. F.

FLORIANI SQUARCIAPINO, MARIA. — *I Culti orientali ad Ostia*. Con un frontespizio e sedeci tavole. Leiden. E. J. Brill, 1962. Pag. 72.

Tertium est tomus hic in nobili illa librorum serie, cui inscriptio: «Études préliminaires aux religions orientales dans l'Empire Romain», a clarissimo Professore M. J. Vermaseren edita et edenda.

Optima quidem monographia de Orientalium cultu apud Ostiam. Huic autem libro quasi fundamentum sunt opera «The Cults of Ostia» (Lily Ross Taylor, Bryn Mawr College Monographs, XI) et «Ostia Colonia Romana» (Paschetto), quae recentioribus investigationibus auctor confirmat atque luculentiore via eadem ornat.

En tibi index libri: I. *Il culto della Magna Mater* (pp. 1-18). II. *Il culto di Iside, Serapide e di altre Divinità egiziane* (pp. 19-36). III. *Il culto di Mitra* (pp. 37-59). IV. *Testimonianze di altri culti orientali* (pp. 60-70).

Sexdecim lepidissimis pictis tabulis opus maxime decoratur, quibus monumenta Ostiana quasi ante oculos proponuntur. Magno opere ars typographica officinae librariae E. J. Brill — ut moris ejus est — commendatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

I. S. R. e C. S. C. — *Marco Tullio Cicerone*. Scritti commemorativi pubblicati nel bimillenario della morte. Roma. p. 259.

Anno bis millesimo a Cicerone occiso adveniente apud omnes gentes tanti viri memoria iterum excitata ac nobilitata est atque orationibus ejus vita a peritissimis viris perpensa ac proposita.

Orationes quae curantibus Instituto Studiis Romanis et Ciceronianis provehendis habitae sunt, praestantissimae sunt, quarum index: *Universalità spirituale di Cicerone*, ab Hygino Funaioli; *Cicerone uomo politico*, a Guerino Paccitti; *Cicerone retore e oratore*, a Virgilio Paladini; *Cicerone filosofo*, ab Aloisio Alfonsi; *Problemi linguistici in Cicerone*, ab Hamleto Tondini; *Cicerone attraverso i secoli*, ab Hectore Paratore. Qui omnes scriptores nobilissimi sunt et in his tractandis argumentis peritissimi.

Cum vero praecipua ad unamquamque rem pertinentia — quasi totius rei summam — colligantur, in iisdem legendis maxima utilitate atque jucunditate perfundimur.

C. LATORRE, C. M. F.

PORTALUPI, FELICITÀ. — *Marco Cornelio Frontone*. Università di Torino, Facoltà di Magistero. G. Giapichelli Editore, Torino. P. 140.

Propositum in primis historicum est clarae auctricis in hac de M. C. Frontone monographia edenda. Ea nempe meta: quo modo, quo exitu opus litterarium Frontonis illas exhibeat condiciones, quas historici postulant hodierni ab historicis aetatis M. C. Frontonis.

Hinc hujusmodi dispositio lucubratiōnis: I. Saeculum secundum a. Ch. n. II. Archaismus. III. Fronto et Cicero. IV. Philosophica dissertatio contra Stoicos. V. De theoria stilistica frontoniana. VI. Frontoniana methodus. VII. De influxu Frontonis in lingua latina. VIII. «Humanitas» frontoniana.

M. Cornelius Fronto, Cirtae natus, rhetor, consul 143 p. Ch. n., magister fuit Marci Aurelii et Veri. Anno vero 1815 ejus scripta inventa sunt in palimpsesto qui fere legi non poterat. Quae quidem a sapientibus valde aliter aestimata sunt. Clarissimus historicus et criticus Naber haec scripsit: «Non sterilis opera erit ad Antoninorum tempora accuratius cognoscenda». E contra historicus haud minoris auctoritatis Niebhur vel hunc utilitatis aspectum respuit.

Hodierna critica arte duce ac facili sermone, F. Portalupi rem ante oculos lectoris optima ratione et via ponit.

PHILOPONUS, C. M. F.

STEGEN, G. — *Essai sur la composition de cinq Épîtres d'Horace*, pag. 94.

STEGEN, G. — *L'unité et la clarté des Épîtres d'Horace*. Maison d'Éditions Ad. Wesmael - Charlier, Namur, pag. 104.

1. Clarissimus Professor G. Stégen parvo hoc volumine interni ordinis analysin ostendit qui epistulis Horatianis inest et exempla hujus praebet luculente eo quod non nulli ausi sint cogitare eo ordine prorsus carere. Auctor tamen ea affert argumenta quibus ex analysi quinque epistularum optimus appareat ordo atque notionum distributio.

2. Ubi G. Stégen librum, quem supra memoravimus, scripsit, alterum de

unitate atque claritate epistularum Horatii conficiendum suscepit. Licet alias epistulas perpendat, patet prioris libri opus esse quasi culmen et complementum.

Jam vero ipse auctor scribit de epistulis Horatii in prologo operis: «Ayant réexaminé la suite des idées dans chacune de ces pièces, j'ai acquis la conviction que malgré l'apparente diversité des sujets qui s'y succèdent, aucune idée ne s'y trouve isolée, mais que toujours elle forme un contraste avec un développement voisin».

Quae verba vere totius hujus libri propositum constituunt.

CAROLUS LATORRE, C. M. F.

KUSCH, EUGEN. — *Herculaneum*. Aufgenommen und beschrieben, Verlag Hans Carl Nuernberg, 1962.

Duae et triginta paginae explicationis, atque octoginta tabulae pictae eaque summa arte typographica excusae: en tibi tanquam hujus momentosi operis syntesin. Cum libri auctor, tum Domus libraria maxime hoc pulcherrimo monumento honestantur.

«Herculaneum» hujus operis inscriptio: urbs illa scilicet in Neapolitano sinu demersa, quae una cum Pompejis urbe adeo in aestimatione est apud archaeologos et sapientes. Et re quidem vera, clarus vir E. Busch, in archaeologica arte perquam peritus, Herculaneum nobis offert descriptum ac delineatum ob oculosque luculenter expressum.

En tibi alia auctoris monumenta, apud doctos maximi perpensa: «Unvergaengliches Nuernberg, Aegyptien im Bild, Mexiko im Bild, Indien im Bild». Artis studiosi sapientesque opus clarissi-

mi Professoris Kusch maxime celebrabunt meritisque ornabunt laudibus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

GIOVANI D'ANNA. — *Ancora sul problema della composizione dell'Eneide*. Edizioni dell'Ateneo Roma, 15, via Antonio Musa, Roma, pag. 68.

Fasciculus hic tertius est in nobili illa editione «Quaderni della Rivista di Cultura Classica e Medievale». Clarus vir J. D'Anna peritus est in poemate Aeneidos explicando atque interpretando: plurima adhuc de re in vulgus emisit. Notus aestimatusque est a sapientibus liber «Il problema della composizione dell'Eneide», Roma 1957.

Modo autem in eundem auctor sermonem redit, quippe cui praebuere ansam duae dissertationes clarissimi Professoris R. B. Lloyd de libro tertio Aeneidos in commentario «*American Journal of Philology*»: «Aeneid III: a new approach», pp. 133-51; «Aeneid III and the Aeneas legend», pp. 382-400.

Hoc igitur in opusculo non nulla in trutinam referuntur, cum ad explicanda, tum in melius reddenda argumenta. Ex disputatione lux commodius exoritur. Ut lucubrationis appendix adjungitur: «Il prodigio delle mense nel Bellum Poenicum di Nevio». Quasi uno tractu libenter libellus perlegitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

A. J. KLEYWEGT. — *Ciceros Arbeitsweise im zweiten und dritten Buch der Schrift: De natura deorum*. J. B. Wolters, Groningen, pag. VIII-234.

Haec lucubratio magni quidem momenti in cognoscenda Ciceronis mente, in libris secundo et tertio operis «De na-

tura deorum». In ea re peritissimus est Doctor Kleywegt, qui ingenio, sollertia, sedula cura cognitionis elementa perpendit.

Quod ad argumenti distributionem, logica omnino via. I. Introductio (pp. 1-9). II. Finis et via (pp. 10-14). III. Liber secundus: a) Esse deos; b) Quales di sint; c) De providentia; d) Consuli rebus humanis (pp. 15-116). Conspectus generalis totius libri secundi (pp. 117-128).

IV. Liber tertius: a) Esse deos; b) Quales di sint; c) Consuli rebus humanis (pp. 129-214). Itemque libri tertii «De natura deorum» summa et compendium (pp. 214-221). V. Quae ad extremum considerata sunt (pp. 222-230). De re nota bibliographica ad nostros dies protracta.

Vere latinarum litterarum historia hac in lucubratione patet; immo et philosophiae Romanorum historia itidem lectori magistri manu detegitur cognoscenda, atque animo comprehendenda. Non nullae cognitionis quaestiones hic solvuntur, non nullae vero solvendae agitantur. Quo quidem et scientiae novae viae panduntur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

L. A. SENECA. — *Lettere a Lucilio*, a cura di Massimo Pittau. La scuola Editrice, Brescia, pag. 190.

Brevis collectio hic expromitur epistularum L. A. Senecae ad Lucilium quae usui et lectioni sint alumnis linguae Latinae. Partim scholastica, partim scientifica ratione viaque procedit clarus vir M. Pittau in docenda latinitate.

In praefatione de auctoris proposito monemur. Introductio fere quadraginta pagellarum, quasi manuducit in cogni-

tionem auctoris operisque, L. A. Senecae. Non nulla de ejus vita; quaedam de Seneca ut philosopho; de Seneca et christianismo; de Seneca ut scriptore; magistro; de operibus «viri Cordubensis». Deinde de opere «ad Lucilium, epistulae morales» sigillatim atque erudite disserit auctor, non nulla afferens de loquendi ratione seu de sermone L. A. Senecae.

Denique textus harum epistularum editur in commodum alumnorum plurimis atque his scitis adnotationibus ornatus: Epist. I, II, III, VII, XXXII, XXXIV, XXXVII, XXXVIII, XLVII, LX, LXI, LXII, LXXXIV, XCVI, CIII, CXII.

Cuilibet epistulae summarium argumentumque praebet, quo facilius intelligatur a discipulo. Id quod sane a sapienti magistro latinitatis in hoc opere obtinetur. Liber commodi usus optima ratione typographica confectus, perspicuitatis in dicendo docendoque jucundum specimen.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

THOMSON, GEORGE. — *Greek Lyric Metre*. W. Heffer et Sons LTD. Cambridge, England pag. XII-162.

Iterum foras datur hoc eruditissimum opus de lyrica arte metrica in lingua graeca classica. Eidem exarando sedulam navavit operam clarus vir G. Thomson, in Universitate Birminghamensi graecarum litterarum Professor. Lucide propositum apparet in brevi praefatione.

Partitio autem capitum peropportuna. 1. Poësis et musica. 2. Phrasis. 3. Sententia vel propositio. 4. Transitionis modi seu methodi. 5. Forma musicalis in poësi graeca. 6. Semanticus rhythmus. 7. Prima Pindari Olympias. 8. Aeschylus «Supplices». 9. Orestes.

Non nullae tanquam supplementum adsunt notae. Atque duplex appendix: 1. summa praecipuarum phrasium in unoquoque rhythmici generis, una cum variationibus formisque raris haud memoratis in capite secundo; 2. nomenclatura exemplorum additiorum ad principia metrica in capitibus quarto et quinto explicatis. Atque totam libri materiam scitus index ante oculos commodissime expromit.

A. MARQUÉS, C. M. F.

J. C. STOBART. — *The Grandeur that was Rome*. 4th edition edited and revised by W. S. Maguinness and H. H. Scullard. Sidgwick and Janckson, London, pag. XXVI-322.

Primum editum est opus hoc anno 1912, ex quo tempore ut popularis vulgarisve historia apud alumnos anglos habitata est: adeo scite, facile, jucunde argumentum a clarissimo auctore propositum est! Anno 1920 secunda libri editio paratur; tertia anno 1934. Nuperrime autem, re tota iterum perpolita, quartum in lucem editur, praestantissimorum Historiae Professorum cura.

Pictarum tabularum explicatione opus incipit: sex et nonaginta admodum. Quasi conspectus historiae Romanorum in introductione pingitur (pag. 1-13). Deinde in sex ampla capita dividitur libri argumentum: I. Origo Romae: de Rei publicae incremento, constitutione, religione, legibus (pp. 14-39).

II. De expugnatione: provinciae, imperii Urbs (pp. 40-74). III. Centum Rei publicae anni superiores: Gracchi, Marius, Sulla, Pompejus, Caesar (pp. 75-144). IIII. Augustus: senatus, populus et magistratus, arma, opes, provinciae (145-

200). V. Roma Augustea: reformatio romanae societatis, litterae, ars, architectura (pp. 201-229). VI. De magnitudine imperii: De principatu, de Roma imperiali, de educatione, de litteris, arte, philosophia, religione (pp. 230-275).

Aptissimo epilogo, summa chronologica, bibliographia, indice hic liber, historiae, artis, archaeologiae classicae Romanorum aureum monumentum absolvitur. Et ea juvat hic referre opera huic similia, ab eadem vulgata Domo Editrice: «The Glory that was Greece, The Splendour that was Egypt, The Wonder that was India, The Greatness that was Babylon».

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

VIRGILIO. — *Enetide, libro ottavo*, a cura di GIOACCHINO GRASSO, Minerva Italica, Bergamo, pag. 94.

Lector in praefatione totius libri VIII Aeneidos synthesin lucidam inveniet quo versuum sensum intime capere poterit.

Laborem, studium diligentiamque auctoris laudamus: nam jucundum quidem est legenti manu duci et ab initio amplam totius libri quasi synthesin percipere.

Textui scitissimae notulae apponuntur quibus tum sensus tum poëtae mens patet atque cum aliis auctorum locis confertur, quorum indice opus completur. Liber pulcherrime est excusus.

C. LATORRE, C. M. F.

DÍAZ Y DÍAZ, MANUEL C. — *Antología del latín vulgar*. Segunda edición, Editorial Gredos, Madrid, pg. 240.

Nova hac editione admodum in melius redditur opus cl. viri Em. Díaz. Am-

pliore igitur ratione historia sermonis latini vulgaris, cognosci poterit.

Haud ita distinctus adhuc apud auctores est sensus «sermonis latini vulgaris», qui, juxta Mohl, idem est ac «sermo imperialis»; juxta Savj-López, «sermo latinus vivus et unus»; juxta Sittl «sermo dialectalis»; juxta Grandgent, «sermo latinus hominum mediocri condicionis»; juxta vero Hofmann, «sermo latinus familiaris».

Ampla quidem exemplorum seu textuum copia hoc in corpore editur. Unicuique textui praestituta introductio cum idonea bibliographia. Excerpta vero selecta brevi, sed accurato apparatu critico ditantur.

Haec anthologia utile erit adminiculum in seminariis Universitatum et Institutum, ubi litteris humanioribus imbuitur philologus, romanensium litterarum studiosus, historicus, aut harum rerum cultor.

A. MARQUÉS, C. M. F.

R. S. BLUCK. — *Latin Unseens*. Manchester University Press. 316-324, Oxford Road, Manchester, 13, Great Britain. pag. VII-132.

Hoc quasi latinitatis florilegium iis praesertim comparatum est qui in Universitatibus linguam latinam addiscunt. Hi autem loci seu textus latini fere «subito» convertendi sunt. Inde inscriptio «Latin Unseens» facile percipitur.

Pervaria ibi argumenta, cum soluta tum astricta oratione, de historia, rhetorica, philosophia, litteris; comoedia, epica, satira, mythologia; de elegiaco versu et lyrico. Ideo et pervarii latinitatis scriptores: Caesar, Livius, Vellejus, Valerius Maximus, Tacitus, Suetonius, Cicero,

Seneca, Plinius, Quintilianus, Plautus, Terentius, Vergilius, Lucanus, Horatius, Ovidius, Martialis...

Loci selecti omni laude sunt digni qui, una cum interpungendi ratione, desumuntur ex nobilissimis Bibliothecis Oxoniensi et Teubneriana.

PHILOPONUS, C. M. F.

FRISK, HJAMAR. — *Griechisches etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 13. Heidelberg, 1963. Carl Winter. — Universitaetsverlag, pag. 193-288.

Tertius et decimus hic fasciculus praestantissimi etymologici lexici graeci, a praeclaro Professore H. Frisk exarati. A vocabulo autem *μειδιάω* ad vocabulum *νάπη* fasciculus, via et ratione quam lectores PALAESTRAE LATINAE norunt, tuto progreditur. Maxime est in votis hujusmodi operis absolutio, quo quidem jure meritoque maximi linguae graecae monumenti famam sibi adsciscuntur et auctor et nobilis ille operis editor.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PLINE L'ANCIEN. — *Histoire Naturelle*. Livre XXIX. Texte établi, traduit et commenté par A. ERNOUT, «Les belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, 1962.

Rerum index hujus libri XXIX Historiae Naturae Plinii est idem atque superioris libri, nempe «Medicinae ex animalibus». Non nulla de medicinae origine praelibantur deque Hippocrito et Chrysippo medicis.

Clarissimus de re magister A. Ernout gallicam perfecit translationem; textum omni cura ingenioque constituit, quem et innumeris eisque eruditis locupletavit adnotationibus.

Maxime commendandus apparatus criticus omni studio et cura congestus. Index vero nominum et rerum usum libri faciliorem reddit. Opus recognovit probavitque nobilis Professor M. J. André.

Nova Plinii editio ex qua sapientes magnam percipient utilitatem.

A. MARQUÉS, C. M. F.

BROCCIA, GIUSEPPE. — *Critica stilistica e filologia*. Edizioni de «Il Centro Librario», Sapri, pag. 56.

Clarus vir J. Broccia, peritissimus latinarum et graecorum litterarum Professor, in Universitate Carolitana non nulla opera in lucem edidit plurimi aestimanda.

Hoc vero in fasciculo strictim de critica «Stilistica» disserit, graeco et latina lingua ducibus.

Totius summa haec est: 1. Primordia. 2. De notione «collectionis» stilisticae. 3. Quaestio de duabus stilisticis: stilistica linguistica et stilistica litteraria. 4. Methodologia analysis stilisticae. 5. Interpretationis prolusio: «variatio» in Tacito. 6. Conclusiones.

Nota bibliographico, indice auctorum, indice locorum et magistrorum libellus absolvitur.

PHILOPONUS, C. M. F.

MINCIONE, GIUSEPPINO. — *Ovidio cantore della sua terra e poeta d'amore*. Editrice Trebbi/Pescara, Pag. 52.

Ex ipsa libelli inscriptione perfacile eruitur totius dissertationis cursus, in quo distincta ratione opera Ovidii meritis cumulantur laudibus. Professor J. Mincione aliorum librorum auctor, vates et ipse egregius, egregie vatem Plautum

hoc libello extulit. Anno bis millesimo ab Ovidio nato vertente editur. Nobilissimi Professoris Ferdinandi M. Brignoli praeest praefatio.

PHILOPONUS, C. M. F.

PARATORE, ETTORE. — *Plauto*. Sansoni, Firenze, pag. 124.

Quasi «prooemium» est hic fasciculus, a clarissimo Professore H. Paratore comparatus. Sic ille: «Lo abbiamo concepito e lo adoperiamo come promessa all'edizione critica del teatro plautino».

Editio vero critica Plautina doctis viris italicam translationem offeret, una cum notis criticis in singulas comoedias. Cui quidem multi nobilissimae gentis Italiae sapientes operam navabunt. Utinam exitum protinus felicem attingant tot magistrorum opera atque labores.

Agili dicendi genere auctor rem ordinat et digerit in septem capita: 1, de Plauti vita; 2, de operibus; 3, de arte; 4, de manu scriptis et editionibus; 5, de bibliographia; 6, de rei fortuna; 7, annotationes seu de novissimis rebus ad Plautum melius cognoscendum, prout exstant extremae sapientium investigationes.

A. MARQUÉS, C. M. F.

PISANI, VITTORE. — *Introduzione allo studio delle lingue germaniche*. 4.<sup>a</sup> edizione aggiornata e accresciuta. Rosenberg et Sellier, Torino.

Anno 1940. hic liber exaratus et editus est a claro Professore V. Pisani de germanica linguistica bene merito. Quarta modo editio in vulgus profertur, eaque ex auctoris proposito etiam «introductio» nuncupatur, quanquam in verum linguarum germanicarum librum

manualem conversa est. Fere de gothico sermone uno antea agebatur, nunc autem plures dialecti explicantur.

Cursim de proposito in praefatione disseritur a magistro, qui, rerum breviationumque praemisso indice, in tres partes aptius opus dividit: I. —Unitas germanica (pp. 3-29). II. —Germanici sermonis elementa (pp. 30-182). III. Nonnulli textus (pp. 183-222). Bibliographia vero et generalis et singularum dialectorum extremas operis paginas complet.

Via et ratio operis apprime studiosis commoda. Tabellis et paradigmatis scitis explicationes facillimae redduntur. In textibus allatis ii commendandi, qui ad Bibliam, ex Ulphilica conversione gothica, referuntur. Oratio Dominica gothica lingua, et antiqua nordica, et germanica, et franca rhenana, et anglosaxona exprimitur atque explicatur.

Introductio haec in linguas germanicas quam maxime est aestimanda ex typographica arte et ratione, quae quasi oculis jucunde aucupatur. Studiosis germanarum dialectorum opus Professoris V. Pisani magno opere commendamus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

ALVAREZ DE MIRANDA, ANGEL. — *Las religiones místicas*. Revista de Occidente, Bárbara de Braganza, 12 Madrid, pag. 244.

Huic doctrinae pleno libro praefationem praeponit clarissimus vir Petrus Laín Entralgo, inter nostrates historiographos longe praestantissimus. Qui quidem cum operis virtutes propositumque, tum scriptoris quasi «mysticam» personam, lectoris animo instillare conatur. Quod nobilis juniorque scriptor de vita decesserit valde lugendum.

Propositum vero libri eo contendit: expendere in primis rationem, qua religiones mystericæ expromptæ sunt in cursu historiographiæ religiosæ hodiernæ. Idque eo proposito trutinæ scientiæ hodiernæ offertur. Quo facilius delegatur nullam adesse rationem in iisdem inserendis, ut nunc est, Historiæ Generali Religionum.

Quattuor capitibus, cum opportunis notis bibliographicis criticisque, constat liber. Missis notionibus communibus atque differentiis inter religiones nationales et supernationales, juvat hic tertii capituli synthesim afferre: Religiones mystericæ apud Græcos; mysteria Eleusis et alia Festa; mysteria Dyonisia orphica; mysteria Cabirica Samothraciæ; mysteria Messenia Andaniæ; mysteria Sabazii; mysteria Phrygia Attidis et Cybelæ; mysteria Tammuz-Adonis; Mysteria Aegyptia Isis et Osiris; mysterium Iranicum Mithræ. Plana sane argumenti expositio, quod quidem et doctrina et arte maxime solidum redditur et confirmatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PAOLI, HUGO HENRICUS. — *Versus diabolici altique lusus*. F. Le Monnier, Florentiæ edidit A. D. MCMLXII, pag. 80. — PAOLI, UGO ENRICO. — *Pinoculus Latinus* (C. Collodi, *Pinocchio*). Firenze, Le Monnier, MCMLXII, pag. 126.

I. — Apud omnes cultores hodiernæ latinitatis notissimus fama est auctor hujus lepidi libelli, modo in lucem editi. Professor H. H. Paoli cum fecundus, tum facetus, in proponenda pueris latinitate.

Versus quasi destillati, ænigmata, fabellæ, paroemiæ, pueriles narrationes: en tibi argumenta, nitidissimo sermone latino expressa, quæ discipulos hilaritate animi in discendo officiant atque compleant.

Hic libelli contextus: Versus diabolici (pp. 7-18); Aenigmata (I Simphosius alter, II Exterarum nationum aenigmata, III Litterarum variationes) (pp. 19-44); Apophoreta (pp. 45-54); Adnotationes (versus diabolici, aenigmata, aenigmatum solutiones, apophoreta) (pp. 55-74).

Illis scriptoris verbis, elegantiae et venustatis plenis finem facio: «Versus diabolici. — Hi versus nunc primum eduntur; neque tu, lector, si diabolium ipsum, ut meae senectuti illuderet, illos mihi subiecisse putaveris, haud procul, opinor, a veritate aberrabis. Lex est naturæ ut senes præter modum desipiant».

Quæ tamen lex hic —lector opinatur— prorsus averruncanda!

II. — Alter scitus libellus, ejusdem auctoris ejusdemque officinae librariæ, inscribitur PINOCULUS LATINUS. Est nempe latina translatio illius nobilis fabellæ «Pinocchio», a claro viro C. Collodi italica lingua exaratae.

Professor autem Paoli summa dicendi facilitate in latinum convertit, ad alumnorum in primis latinitatis commodum. Iis maxime librum commendamus, quo quidem latini sermonis cognitionem usumque facillime assequuntur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



CORREA CALDERÓN, E. — *Baltasar Gracián, su vida y su obra*. Editorial Gredos, Madrid. pag. 422.

Auctor hujus modi operis longe peritissimus existimatur a sapientibus, in enucleanda explicandaque re Graciana. Anno 1944 ipse edidit «Opera omnia» clari polygraphi Balthassaris Gracián, ex quo tempore maxime increvit ubique studium in nostratem philosophum.

Hoc quidem libro —ubi constricta synthesi tota Graciana persona et opera distinguuntur ornanturque— ad nostra usque tempora protrahuntur quam plurimae quaestiones ad auctorem operis «El Criticón» spectantes. Facili dicendi genere, ingenio sollertiaque maxima disserit professor E. Correa, de vita nobilissimi scriptoris, de ejusdem operibus, de fontibus, de auctoritate et pondere, de bibliographia.

Missa brevissima de proposito praefatione, duas in partes totum opus dividitur: Vita Balthassaris Gracián (pp. 12-140) et ejusdem scripta (pp. 141-318). Libri fastigium amplissima atque utilissima Bibliographia (319-402). Adduntur indices: onomasticus et generalis (pp. 403-422). Jure meritoque hoc volumine illa «Bibliotheca Romanica Hispanica», a clarissimo magistro Damaso Alonso condita, honestatur; immo vero etiam librum laudibus ii lectores afficient, qui litteraria monumenta Balthassaris Gracián callere cupiunt.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ALONSO, DAMASO. — *La lengua poética de Góngora*. 3.<sup>a</sup> edición, corregida. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Madrid, pag. 230.

Liber hic laurea Praemii Nationalis Litterarum, anno 1927, donatus est. Qui nunc demum in lucem editur, quamquam multo perpolitior, resque alio ordine distribuuntur. Altera tamen libri pars desideratur. In eadem erit sermo de metaphora, de hyperbole, de allusionibus, de rhythmo, de colore, cet., in arte scientiae Gongoriana.

Dispositio vero hujus primae operis partis haec est: Introductio cum inscriptione «Los dos Góngoras» (pp. 8-41). Caput I, de «cultismis» —sit venia verbo— (pp. 43-85). Caput II, de «cultismis» juxta censuras et paroedias litterarias (pp. 87-119). Caput III, de difficultatibus syntaxis Gongoriana (121-134). Caput IV, de repetitione formularum stillicarum (pp. 135-152). Caput V, de «cultismis syntacticis» (pp. 158-175). Caput VI, de hyperbato (pp. 177-211).

Atque opus finitur luculenta synthesi hujus primae libri partis, non nullis additionibus et emendationibus, una cum indice nominum priorum et rerum. Auctor admodum notus est in provincia litteraria ex plurimis doctrina plenis libris. In praesentiarum autem cathedra fungitur Philologiae Romanae in Universitate Matritensi.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

D'AGOSTINO, VITTORIO. — *Studi sul Neostoicismo — Seneca, Plinio il Giovane, Epitteto, Marco Aurelio*. Seconda edizione. Via S. Pio V, 16. Torino, pag. XII-158.

Aurea hic collectio subjicitur documentorum, ad Neostoicismum rectius cognoscendum. Clarus Professor D'Agostino de re est bene meritus: multos quippe annos doctrinam illam ingenio, studio

sollertiaque agitavit, in praeclaris auctoribus legendis atque animo expendendis, Zenone, Cleanthe, Chrysippo, Panaetio, Posidonio, Hecatone, Seneca, Epicteto, Marco Aurelio.

In hoc autem volumine penitus perscrutatur mens Senecae, Plinii Junioris, Epicteti, Marci Aurelii. Scriptoris propositum paucis absolvitur, et amplissima de re bibliographia praemittitur. (pp. VII-XII). Totius libri summa: I. Scientia et ars psychologica Senecae (pp. 1-30). II. Seneca et «de tranquillitate animi» (pp. 31-51). III. Plinius Junior et quaestio de sui ipsius interitu (pp. 62-89). IV. De divisione operis Epicteti (pp. 90-91). V. De sensu libertatis apud Epictetum (pp. 92-119). VI. De officiis ethicae socialis in Marco Aurelio (pp. 120-140). VII. Minutius Felix et Seneca (141-149).

Aptius opus definitur et absolvitur tabella evolutionis historicae Stoicismi, indice rerum, indice nominum propriorum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

SCHOELLGEN, WERNER. — *Problemas morales de nuestro tiempo*. Editorial Herder, Barcelona 1962. pag. 490.

Perbella huic opert summa nobilis illa Pittaci vox Καρὸν γυνῶτι. Et quidem tempus opportunum noscens, clarissimus vir W. Schoelgen in fasciculum rededit unum diversa de re morali argumenta alias in vulgus ab eodem magistro edita. Nunc vero ponderosum opus in hispanicam linguam redditum voluit Domus Herder.

Quattuor in partes opus dividitur. I. Quaestiones fundamentales de theologia morali et pastorali (pag. 29-204). II. Problemata theologica moralia de

jure deque re politica (pag. 205-272). III. Problemata anthropologica de theologia morali (pp. 273-402). IV. Problemata theologica moralia de medicina (pp. 403-484).

Brevis, sed opportuna, praefatio de conceptu biblico vocis κατὰς librum aperit; atque opportunissimo indice analytico clauditur.

A. MARQUÉS, C. M. F.

KARRER, OTTO. — *Sucesión Apostólica y primado*. Editorial Herder, Barcelona 1963, pag. 84.

Quaestio de Primatu in Ecclesia catholica, omnino conjuncta est cum apostolica Episcopatus successione. Haec igitur e re nata quaestio prima, ex qua pendet quaestionis de Primatu solutio in sacra theologia.

Commode in duas partes ab auctore libellus aptatur: I. De successione apostolica. II. De Primatu Petri. Potius dialogo Professor Karrer utitur cum «fratribus separatim» et cum illis de difficultatibus objectionibusque aperta mente animoque disserit.

In prima libri parte expromitur mens clari viri Campenhausen aliarumque scholarum catholicarum de Successione Apostolica; in altera autem notatu digna interpretatio textus Mat. 16, cum explicationibus eruditissimi Professoris O. Cullmann. Etsi liber brevis, bibliographia tamen apposita res maxime explicatur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

VAN DEN EYNDE, DAMIAN. — *Tradición y Magisterio*. Editorial Herder, Barcelona 1963, pag. 56.

Novum opus in utili «Parva Bibliotheca Herder». Primigenia opusculi in-

scriptio «Tradizione e Magistero», a clarissimo Theologo D. van den Eynde sedula cura ingenioque exarati. In hispanicam vero linguam diligenter converiit praeclarus vir Joachim Blázquez, de theologica scientia bene meritus.

Libelli cursus triplex: I. Origines. II. De Traditionis notione. III. Conclusio. Quamvis sint maxime conjunctae cum argumento hujus lucubrationis, minime referuntur ab scriptore quaestiones de Primatu Romano deque evolutione Dogmatis. Quae quidem, ex ipsarum amplitudine et momento, separatim actae sunt in eadem herderiana Bibliotheca iis titulis: «Sucesión Apostólica y primado», et «Desarrollo del dogma».

Auctor in hoc opusculo quasi compendium contexit de incremento investigationum, superioribus quadraginta annis; atque summam sententiarum de re expromit. Qui de argumento ampliora documenta cognoscere velint, hoc libro duce facile assequuntur. Selecta enim referuntur opera, de Traditione in Ecclesia primaeva, de influxu religionum non christianarum, de Episcoporum catalogo, de Symbolis, de Traditionis notione.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

FABRO, CORNELIO — *E. problema de Dios*. Biblioteca Herder, Barcelona 1963, pag. 108.

Quaestio quidem maximi momenti in vita hominis «problema» Dei est. Ea igitur quae sunt de Supremi Dei existentia et natura magnopere nostra intersunt, eaque quasi ludentes ad tergum jactare nequimus. Problema hoc animum hominis quasi cuspide quadam percutit eumque cogit ut lumen quaerat quo id solvere possit.

Liber quem lectoribus offerimus, licet parvus, non scintilla tantum, sed fax est ad hanc quaestionem illustrandam et exquirendam.

Cornelius Fabro, in Universitate Catholica Mediolanensi philosophiae clarissimus Professor, cujus auctoritas apud sapientes admodum praestat, hominem, qua est homo, religiosum esse affirmat, atque religionem intime cum natura ipsa ligatam esse; qua de causa problema theologicum, problema est naturae hominis.

C. LATORRE, C. M. F.

ORAZIO. — *Odi ed Epodi*. Versione poetica di ALBERTO MORTERA. Vittorio Bonacci Editore, Roma. Pag. 266.

Carmina horatiana et Epodi nobilem hoc libro clarissimi vatis A. Mortera locum invenere. Labor quidem improbus poësin Horatii vernaculo versu converti atque exprimi; quod tamen plurimi magistri id animo ingenioque contenderunt.

Auctoris vero propositum illud: Vatem Venusinum quam maxime italicum reddere: et litterae quidem italicae proposito gratae, ni multum fallor, adquiescent. Quattuor Odarum libri, italica poësi floridi, hic eduntur una cum plerisque Epodis horatianis.

Unicuique carminum brevis et eo ponderosa notitia praeit, qua sensus lucubrationis facilius studioso reddatur. Liber summa cura typographica dispositus exhibetur. In primis latinitatis et humaniorum litterarum studiosis alumnis dicatur liber: quo jure meritoque non nulla minus eisdem apta carmina in libro desiderantur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARIJ

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauría, 5, Ap. 1042 - BARELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 25 pesetas; in Gallia: 3'50 francis; in Italia: 350 libellis; in Germania: 2'5 marcis; in reliquis civitatibus: 0'80 dollaris.

ANN. IX — (FASC. IV) — N. 36

M. DECEMBRI

A. MCMLXIII

# QUIS EST REX?

Cum terrenae bestiae regem habere vellent —ut aves aquilam habebant reginam—, ad eum creandum, statuto loco et die convenerunt. Ubi omnes tacuerunt, sorex in medium concilium procedens. —«Cupio, inquit, omnium belluarum regem esse leonem...».

Tunc lupus haec audiens: —«Opto ut elephanti rex fiat noster...».

Quibus auditis, cetera animantia nutu suo, suffragium tulerunt: pars leoni, pars vero elephanti. Suffragiis delatis, testudo, magni illius concilii moderatrix: —«Suffragium, inquit, neque leoni, neque elephanti fero; quoniam si leoni regnum propter vim vel elephanti ex magna corporis vastitate detulerimus, hostis callidus nos petet, vincetque nos omnes. Beluam quandam novi hac calliditatis virtute ornata —nomen est ei HOMO—; qui si noster rex electus erit, magno nobis juvami erit, secus... Hunc ergo nostrum regem fieri cupio. Qui ex duobus vobis eum vicerit, noster erit rex, sin autem ille vos vicerit, eum nos omnes regem habebimus».

Leo atque elephanti, testudine concomitante, ad quaerendum HOMINEM se contulerunt.

Paulo post cum ad quosdam fundos pervenirent: —«Hic, inquit testudo, segetes, arbores colit homo».

Per silvam procedentes senem laborantem invenerunt; iterumque testudo: —«Hic, inquit, HOMINIS parens, non HOMO est».

Postea pueros pila ludentes...

—«Hi sunt, inquit, HOMINIS filii». Qui interrogati ubi esset HOMO deterriti fugerunt...

Ad villam postremo duo venatores ad se accedentes viderunt. Tunc testudo: —«Ad pugnam, amici, vos parate, en HOMINES ad nos accedunt».

Venatores ergo leonem et elephantum ad se venire videntes jaculati sunt humique animalia ceciderunt. Quibus compertis, testudo suos statim petens, narravit omnia quae viderat. Quo tunc HOMINEM regem animantium omnes pronuntiarunt...

*Alumnus Guineensis*

## Pugna cum leopardo commissa

Missionarii, viri fortissimi sunt: qui saepe corpore et animo maxime strenui nobis ostenduntur.

Pater Aloisius Denis, Nyasae Missionarius in Africa, se cominus cum leopardo pugnassee narrat.

«In cubiculo eram, cum adulescens intrat: —Pater, inquit, cito. Leopardus in christianum irruit eumque laceravit.

Sclopetum sumpsi et statim abii».

—«Ibi est, Pater». —Locum digito designatum intueor, sed nihil prorsus video. Hic aliqui venatores nigritae se nobis addunt.

—Pater, inquiunt, leopardus aufugit.

—Bene est; sed ubi est qui a leopardo est laniatus?

—Illum in vicum jam adduximus.

Ego duxque in silvam prudenter penetramus.

Repente dux perterritus: —«Oculos intende, Pater, inquit: In illum cito glandem explōde.

Longius prospiciebam, neque tamen percipiebam quod proxime ante me habebam.

—Explode, explode cito manuballistam igniferam, Pater! dux anxius repetebat.

Tunc adversarium ante oculos vidi, sed sero jam erat; rugitum edidit horribilem atque in me saltu terribili irruit. Lingulam compressi sclopeti simulque in latus me inclinavi. Glans eum non est assecuta, neque tamen ille me saltu suo arripuit.

Leopardus iterum abnormi ore aperto in me irruit. Caput ejus manuballista tutūdi, quo eum enecare sum conatus, sed ille nequam ictum vitavit, atque sclopetum in arborem diffractum est.

Tunc pugna cominus incepit. Manuballistam procul eeci atque a tergo, arbore tectus, me defendi dum mihi auxilium ferebatur.

Leopardus iterum in me irruit, erectus in posterioribus pedibus ut me laniaret, ego autem, ab arbore semper protectus pedibus ventrem ejus percutiebam. Alia manu ejus jugulum opprimebam, alia vero ab ejus unguibus me protegebam. Fera dolore fremuit humique concidit. Ego tamen

## POST PERICULA

Mater. Quid cum animo tuo, fili mi, volvis?

Filius. — ...Cogito Londinium Insularum, Philippinarum caput esse...

Mater. — Quare, fili mi, quare?

Filius. — Quia heri in periculis ito magistro respondi ..

J. PALOU

Alba avis (Cic. Fam.. 7, 28, 2)

— res rara, inusitata —

Gallinae filius albae (Juvenal., 13, [141])

— dicitur de re fortunata —

Dies albo lapillo notandus (Plin. Epist., 6, 11)

— dies felix —

Adjicere album calculum (Plin. Epist., 1, 2, 5)

— probare —

## IN CAUPONA

—Quo modo, caupo, hoc vinum appellatur?

—Quare a me hoc quaeris?

—Quia cum sit «baptizatum»<sup>1</sup>, consentaneum est nomen ei esse...

1. —hoc verbum ita adhibet noster, Vives—.

Fr. SALA

## TU THEMISTOCLES NON ES

Iter faciens Themistocles, puero comite, torquem aureum humi jacentem vidit; sed praeteriit.

Cum autem Themistocles intellexisset puerum torquem sibi assumere velle, neque tamen audere — quia dux praesens aderat —, subridens:

Tolle, puer, tolle torquem, inquit, nam tu non es Themistocles...

MICHAEL R.



in illam irruí, sed e manibus evasit. Iterum adversum me incessit atque unguibus aggressa est; ego autem calceis, clavis gravibus protectis, percutiebam: in ore, in gutture et praesertim in ventre feram jam debilitatam percutiebam. Repente tamen crus meum momordit et una cum veste carnis frustum arripuit.

Statim fluere sanguis coepit; caput meum evanescebat oculique obscurabantur. Idemque adversario eveniebat. Denique eum e cervicibus deprehendi atque humi prostravi, altero crure jugulum opprimebam alteroque eum in terra constringebam.

Leopardus e manibus fugere conabatur, sed corporis ejus vires exhauriebantur, tamen illum evasurum praevidebam.

Tandem ad me catechista pervenit statimque ex venatoribus unus. Certo securis ictu interfecta est fera. Salvus eram. Pugna horae quadrante protracta erat. A christianis circumdatus in vicum delatus sum.

Statim defeci, cumque animum recepi, gratias Deo egi quam maximas, qui vitam meam servaverat.

Plagas diu curavi et adhuc in corpore cicatrices fero.

P P PASCUAL et P. PÉREZ

### TRIANGULUS MAGICUS

	1	2	3	4	5
1					
2					
3					
4					
5					

1. Aetioptiae urbs
2. Terst
3. Patri patris
4. Conjunctio
5. Praepositio

### SOLUTIONES

PAL. LAT., n. 183, p. 174 - 176.

PAL. ADUL. n. 35, p. 6 - 8

#### Aenigma Vergilianum

P U M I C E  
U T I N A M  
M I S E R O  
I N E R I T  
C A R I N A

#### DO - MI - NA - TO - RE

1 - 2 domi	2 - 3 - 5 minare
1 - 3 dona	1 - 3 - 4 donato
1 - 2 - 3 domina	5 - 3 - 4 renato
3 - 4 nato	5 - 3 rena
3 - 5 nare	1 - 3 - 5 donare
	1 - 5 doto

#### Triangulus magicus


V E S T A  
E Q U A  
S U I  
T A  
A

#### Ad saltum equi

Sit dies haec festa nobis  
ut sacratum gaudium.

PRUDENTIUS

# SAGUNTUM, URBS OPULENTIS



1. Legati, ab Hannibale non admissi, Carthaginem proficiscuntur; sed vana et irrita eorum legatio fuit; quamquam Hanno princeps alterius factionis in senatu Carthaginensi «Sagunti ruinae, inquit, nostris capitibus incident»...

2. Dum Romani tempus terunt legationibus mittendis, Hannibal paucorum dierum quietem militibus dedit; hi enim fessi proeliis operibusque erant.

3. Tunc stationes ad custodiam vinearum aliorumque operum disposuit; interim militum animos et ira in hostes stimulat, et spe praemiorum accendit, et praedam captae urbis militum fore dicit.

4. Saguntini vero ita non nocte, non die unquam cessaverant ab opere, ut novum murum reficerent ab ea parte qua oppidum patefactum ruinis erat.

## SIMA, AB HANNIBALE DELETUR. - II

5. Inde oppugnatio atrocior quam antea adorta est. Ipse Hannibal ad ingentem turrim mobilem hortator aderat; quae catapultis ballistisque, per omnia tabulata dispositis, muros defensoribus nudavit

6. Hannibal quingentos ferme afros cum dolabris ad subruendum ab imo murum mittit: qui cum caementa interlita tantum luto haberet, latius quam qua caederetur, ruebat, et per ruinas agmina armatorum in urbem vadebant.

7. Locum quoque editum capiunt; catapultas ballistasque ibi conferunt, ac muro circumdant ut in ipsa urbe velut arcem imminentem habeant. Utrimque summa vi et muniunt et pugnant.

8. Simul crescit inopia omnium longa obsidione et minuitur expectatio externae opis, cum tam procul Romani —unica spes— (stnt) et circa, omnia hostium sint.





## ALUMNI EPISTULAS DANT

*Excmo. ac Rdmo. Domino Paulo Taguchi,  
Osakae Antistiti.*

Excellentissime et amplissime Vir.

Claretiani Alumni Seminarii Minoris Missionariorum Filiorum Imm. Cordis B. M. V. Rosarii in Argentina constituti, observantissimam tibi salutationem mittimus, atque gratias plurimas rependimus ob pulcherrimam Imaginem Depictam Cordis Immaculati quam nobis benignus dicasti, piis doctisque documentis inscriptam.

Hoc testimonium existimationis tuae in nobis auget studia propagandi aliquando Evangelii ad extremas usque orbis plagas.

Quae studia nunc nutrimus opera et oratione: singulis enim diebus marialem salutationem recitamus pro Missionibus et Missionariis Japoniae.

Filialem iterum salutationem mittimus, tuam exorantes pastoralementem benedictionem.

Pro Alumnis Claretianis.

LEONARDUS MEHRING, C. M. P.

(V. e. alumnus)


Rosarii, in Argentina.

## VERBA ARCANA

1 — . . S . .	1 — Sum
2 — . U .	2 — Praepositio
3 — . I .	3 — Nutrio
4 — . . L . .	4 — Clivo
5 — . . . A . . .	5 — Potum
6 — . . . M . . .	6 — Recenseo

JULIUS A. MARQUÉS

## SCALAE SUBLIMES



12 - 5	Templum
9 - 16	Accusans
4 - 13 - 9	Adjuvate
3 - 8 - 1	Acrioli fratri
2 - 10	Jovis filia
6 - 7	Populus
15 - 11	Ungo

Si quae verba proponuntur in alia mutaveris ejusdem sensus, et syllabas per numeros apte divideris, Horatii invenies notissimum versum.

proposuit F. JIMENO

## DIOGENES

Diogenes, philosophus Cynicus, qui Athenis mendicans libere carpebat errantes, a Lysia Pharmacopola interrogatus an deos esse crederet: «Cur, inquit, non credam deos esse, cum credam te diis inimicum esse?»

## AUCTORES MEMINERINT

Quondam aquila et leo inita societate in rebus administrandis, ad negotia agenda valde momenti convenerunt

Aquila sic de vespertilione conquesta est:

— «Ut in volando sese exercent, saepe meis filioliis miscetur. Cum et collibitum est, neque rostrum se habere dicit; atque aliquando — cum vult — quadrupes redditur... Cum meis servis tuis male dicit, et cum tuis meis obstrectat...».

Quibus auditis sic leo:

— «Res, inquit, optime se habet... Juro in meo imperio vespertilionem nunquam vitam acturum...»

Cui aquila: — «Neque apud me unquam nidificabit».

Ex quo tempore solum vespertilionem — nam nemo eum comitem nec amicum quaerit — noctu errabundum videmus.

Auctores sunt litterarii qui vespertilioni similes sunt. Si ergo, cum omnibus vitam communem instituere velint, fabellae sint memores... — JULIUS A. MARQUÉS

## DE PUERO QUEM CAPITONEM VOCABANT

Puerum quemdam, quia caput habebat magnum, comites amique *Capitonem* vocabant, eumque maxime irridebant.

Quodam diem, puer flens ad domum suam revertit. Mater vero cum eum flentem videret,

— «Quare, inquit, fili mi, ploras?»


— «Omnes socii me «capitonem» dicunt quod ego revera pati nequeo...»

Tunc mater, ut filium consolaretur:

— «Fili mi, inquit, tu capito non es... Noli anxius esse... At statim capiti tuo petasum impone mihique cicerum affer chilogrammata... triginta.

Quo puer laetus abiit... — J. DE BLAS.

## VERBORUM AENIGMA



*In transversum*

1 Innatas

2 vocales

3 metuit

4 vocales

5 pars brachii

*In perpendiculum*

1 ortum

2 vocales

3 ac

4 vocales

5 locatus

(Vers. lit.)



## Festa Natalicia

*CHRISTUS DOMINUS,*  
iterum adveniens et apud  
nos nascens, amicis et lecto-  
ribus PALAESTRAE LATI-  
NAE bonum et pacem affe-  
rat ac supernis donis am-  
plissime eos cumulet.



## DISTICHA

### *Noli terere tempus*

Tempora consumo nugis et inanibus, et sic  
Ne pereant, vitae tempora perdo meae.

### *Tempus*

Tempus edax rerum: nos et terit omnia tempus,  
Nos terimus tempus: iam sumus ergo pares.

### *Juvenum verecundia*

Egregium juvenis signum verecundia, tanquam  
Peccati constet poenituisse sui.

### *Pueri et senes*

Ne saeva in canos, juvenis, convicia fundas,  
Sed sede assurgens praetereunte sene.

## AD SALTUM EQUI

U	NA	FI	NA	EST
PA	MI	NA	SIG	DEN
TA	A	GI	IN	SED
DO	LIS	NI	TI	RA
TU	FI	LI	CER	NOS
BEL	TA	TRIS	GU	NE

A. COSTA

*Salmanticae.*

*Custos.* — Quare manum in  
Pauli sinum (seu in fun-  
dam vestis) immisisti?

*Latro.* — Quia... algebam.

JESUS DE BLAS

### PSITTACUS SURDUS...

— Tu mihi, venditor, quas  
voces et sonos psittacus  
audiret, redditurum af-  
firmasti.

— Hoc sane asseruit; sed mi-  
sellus psittacus surdus  
est...

JOSEPHUS SAIGI

— Ira sane, a tabaco sugen-  
do abstinui, quia ex reni-  
bus laborabam.

— Qui fieri potest?

— Quia, cum cicca collige-  
rem, saepissime in die me  
inclinare necesse erat.

JESUS CALVO

### IN PERICULIS

*Magister.* — Quare, puer,  
Adamus et Heva e Para-  
diso expulsi sunt?

*Puer.* — (*secum cogitat*) Quia  
villico solvere non pote-  
rant.

### PARSIMONIAE INDULGENS

Homo erat adeo studiosus  
parsimoniae ut magnis ac lon-  
gioribus passibus semper ince-  
deret, quo serius calceorum  
fulmenta consumerentur.

C. KIPPES



*Rosarii, in Argentina.*

# BIBLIOGRAPHIA

HORNEF, JOSEF. — *¿Vuelve el Diaconado de la Iglesia primitiva?* Editorial Herder, Barcelona, pag. 192.

Nota apud omnes est penuria vocationum sacerdotalium, qua opprimuntur plurimae terrarum orbis regiones. Restauratio in Ecclesia diaconatus, non nullorum auctorum sententia, nonne esset quasi ejusmodi necessitatis levamento et solacio?

Quattuor in partes argumentum totum dividitur ab scriptore. I. Principia de ordinis sacramento, de diaconatu, de ordinibus minoribus (pp. 19-60). II. Sententiae oppositae (pag. 61-116). III. Ad restorationem diaconatus (pp. 117-133). IV. Diaconatus in non nullis spiritualis vitae adjunctis (134-192).

Hispanicam editionem aptavit R. d. S. J., qui quidem in prologo non nulla exprimit de re apud nostrates considerata atque animo pendenda. Haud eadem semper mens, ubi adjuncta rerum temporumque diversa erunt...

Liber utilis erit ad rem ita temporibus nostris disputatam serena placidaque mente in propatulo exhibendam.

A. MARQUÉS, C. M. F.

GOERRES, ALBERT. — *Métodos y experiencias del psicoanálisis.* Editorial Herder, Barcelona, pag. 302.

Quidnam rei est Psychoanalysis? «Di-

mensiones» analysis. Salus et infirmitas animae. Phaenomena structuraeque formationum defectivarum «characteris» in diagnosi psychoanalytica. Relatio et transferentia. Resistentia. Observationes de analysi somniorum. Evolutio et interpretatio characteris in analysi expressae. Effectus methodi analyticae: Haec quidem argumentorum summa, quae hoc in libro agitantur. Clarissimus vir A. Goerres, medicinae et philosophiae Doctor, Professor Psychologiae in maguntiana Universitate, medicus psychoterapeuta Francoforti ad Moenum, hoc in elaborato opere exprimit quasi «technicam» sententiam de Psychoanalysisi.

Vel ipsis rei profanis facilis libri comprehensio. Maxima cura conversio hispanica a claro scriptore Alexandro Ros exarata est. Quocirca psychologis, magistris, medicis, animarum pastoribus opus hoc magni erit momenti aestimationisque.

Re quidem vera, multa temporibus nostris argumenta freudiana nullius sunt momenti, immo vero etiam obsoleta; multa tamen a Magistro Psychoanalysis edocta, permanent eruntque in provincia psychologica perennia. Validum admittere, caducum respuere: hoc scientiae munus heri hodieque. Idque propositum auctoris libri hujus, dextro omine a Domo Herder apud nostrates inducti.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

# LIBRI QUI INSCRIBUNTUR TEXTOS PALAESTRA

venales prostant apud officinam librariam GRAFICAS CLARET  
LAURIA, 5                      BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina . . . . .	ptis. 60
• Repetitorium . . . . .	» 60
• De Orthographia latina (altera editio) . . . . .	» 20
• Index latinus . . . . .	» 5
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI	
• <i>Historiae Sacrae compendium</i> , (5 edit.) . . . . .	» 10
• <i>Epitome Historiae Graecae</i> , (6 edit.) . . . . .	» 12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> . . . . .	» 10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) . . . . .	» 12
JIMÉNEZ, <i>Caesaris de bello civili</i> , (3 edit.) . . . . .	» 12
*   • <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> , (2 edit.) . . . . .	» 10
*   • <i>Ciceronis in Catilinam</i> , (2 edit.) . . . . .	» 10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> . . . . .	» 10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> , (lib. II, 2 edit.) . . . . .	» 12
* MESA, <i>Sallusti de Catilinae Conjurazione</i> , (2 edit.) . . . . .	» 10
PLANQUE-PLANAS, <i>Gramática Griega</i> . . . . .	» 60
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> , (2 edit.) . . . . .	» 10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> . . . . .	» 8
MESA, <i>Titi Livi Historiae selectae</i> . . . . .	» 12
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> . . . . .	» 12
RUIZ, <i>Homerti Odyssea</i> , (lib. I) . . . . .	» 14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> . . . . .	» 12
<u>Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6</u>	

## PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Constat in Hispania et America Hispanica . . . . . 80 pesetis

### VOLUMINA SUPERIORIBUS ANNIS EDITA

- I. *soluta*: ab anno 1939 ad a. 1954 . . . . . veneunt ptis. 30  
           ab anno 1955 ad a. 1958 (IN HISPANIA)   »   » 85 / 2 \$
- II. *linteo contexta*: singula volumina unum annum  
           complectuntur (ab a. 1939 ad a. 1954)   »   » 35

PALAESTRA ADULESCENTIUM                      pesetis 25